JESUS INFANS.

E C L O G Æ

JOANNIS BAPTISTÆ MODOLINI

CANONICI ECCLESIÆ CENETENSIS

A D

ALOYSIUM, ET HIERONYMUM PETRI CONTARENI

EQUITIS, ET D. MARCI PROCURATORIS FILIOS.



VENETIIS MDCCLXXXVI.

TYPIS ANTONII ZATTÆ, ET FILIORUM.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANGELUS AD DEIPARAM.

ECLOGA I., SEU ALCON.

ITER DEIPARÆ AD ELISABETH.

ECLOGA II., SEU ALCIPPE.

PASTORES AD PRÆSEPE.

ECLOGA III., SEU SILVANUS.

MAGI AD PRÆSEPE.

ECLOGA IV., SEU MELIBOEUS.

HERODIS FUROR, ET PARVULORUM STRAGES.

ECLOGA V., SEU DAMOETAS.

FUGA IN ÆGYPTUM.

ECLOGA VI., SEU ERGASTUS.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor General del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato *Jeſus Infans. Eclogæ Jo. Baptiſtæ Modolini &c. ad Aloyſium, & Hieronymum Petri Contareni Equitis &c. Filios &c. MS.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 14. Decembre 1785.

(Piero Barbarigo Riform.
(Francesco Morosini 2.° Cav. Proc. Riform.
(Girolamo Ascanio Giustinian K. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 176. al Num. 1583.

Giuſeppe Gradenigo Seg.

Addì 15. Decembre 1785.

Regiſtr. a C. 130. nel Libro preſſo gl' Illuſtr. ed Eccell. Sig. Eſecutori contro la Beſtemmia.

Giannantonio Maria Coſſali Nod.

AD

Digitized by Google

A D

ALOYSIUM, ET HIERONYMUM PETRI CONTARENI

EQUITIS, ET D. MARCI PROCURATORIS FILIOS.

Cui mittam potius brevem hunc Libellum,
Silveſtri calamo modo exaratum;
Dum paſcebat oves, opus ſenile
Alconis, prope Meſulum canentis;
Quam Vobis, gemina inclyti Parentis
Proles, unde decus magis, magiſque
Et Gentis ſimul uſque Contarenæ
Creſcet, & Venetæ perennis Oræ
Splendor: quin etiam omnium Italorum?
Noſtræ nam Fidei, ſacrique Cultus
Hic Myſteria continet Libellus,
Alcon quæ cecinit levi cicuta.
Alcon nam cecinit levi cicuta
Naſcentem Puerum ſacrata ab Alvo,
Æterni Sobolem Patris beatam,
Et quæ facta prius, ſequuta poſtque:
Mentem præcipue piam, & pudicam
Argumenta decent pia, & pudica:
Simplex præterea nec eſſe veſtris
Videtur Stilus indecorus annis.
Sæpe & cum gravibus ſenex avenis
Jungere altiſonas ſolebat Alcon,

Prout Materies referri amabat.
Sic Maro poſuit leves avenas,
Dum paſtor canit ille Pollionem.
Veſter hoc etiam uſus eſt Magiſtro
Pater, nec dolet uſus hoc magiſtro.
Nam quamvis apices ſit adſequutus
Honorum; tamen hunc vocare amicum
Amat: quin etiam alterum Parentem.
In tanto ſtudio Urbis, atque amore,
Splendore in duplici, Suo, & Suorum
Tanta affabilitas utrumque lumen
Reddit ſplendidius, tenebricoſo
Nec mentem patitur tumere faſtu.
Vos ergo excipite hunc, precor, Libellum,
Alconiſque ſenis fovete nomen,
Proles o gemina inclyti Parentis,
Alta in ſpem Patriæ, decuſque Avorum,
Quæ Vobis etiam parat, ſequutis
Exemplum Patris, & decora facta,
Quidquid nobilius ſolet merenti
Largiri magis ipſa præmiorum.

ANGE-

Digitized by Google

ANGELUS AD DEIPARAM.

Ecloga I., seu Alcon.

ALconi, dum pavit oves, florentibus annis,
Populeis, ſalicumque comis contexta parabat
Scena umbras, viridis florenti in vertice ripæ,
Garrulus innocua quam Meſulus irrigat unda,
Lambit ubi Cenetæ fines, crepitante ſuſurro.
Ille ibi Paſtorum Connubia læta canebat,
Sæpe Puellarum Choreas, & vincta Coronis
Tempora, nunc Mopſi ignes, aut Amaryllidis iras.
Quin etiam, majora auſus, certamina Regum,
Pugnataſque tuba, & ſublimi carmine pugnas,
Pacis & Adriacæ, ſummos ornare ſolebat
Dum Thetis Heroas, ſolitus celebrare Triumphos.
Tunc mihi florebat prima lanugine mala;
Luſtra ſed implerat ſeptem, vel proximus Alcon.
Tempora labuntur, nec noſtra it tardior ætas:
Jamque ſenex Alcon: aliquo licet intervallo,
Illum nos etiam ſequimur, venietque ſenecta
Spe citius; ſtamen niſi vitæ abrumpitur ante.
Hæc ego dum meditor, pecudeſque in margine Rivi
Paſcentes ſervo; exilis vox attigit aures,
Ut ſolet eſſe ſenis, ſcite modulantis, at ipſi
Langueſcat robur. Surgo, vocemque ſequutus,
Agnoſco Alconis, Paſtorum haud amplius ignes,
Meſulidumque Choros Nympharum, iraſque canentis.
Accedo, viſuſque ſuam plorare Juventam,
Atque male impenſas curas, & inutile tempus.
Tunc ego ſolatus: rugoſa fronte quod eſſet
Indignum, Juvenum ſemper non dedecet annos,
Sique Erato cecinit tua quondam mollia, Muſa
Myſtica mutata refer argumenta. Sed Alcon:

Digitized by Google

Sera datur plerumque malis medicina vetuſtis,
Factaque jam tarda mens eſt obtuſa ſenecta,
Spiritus & muſæ defecit tempore Vatem:
Omnia fert ætas ſecum. Tunc ipſe: quod uſus
Excolit aſſiduus, ſecum non abſtulit ætas,
Et ſolita, ut video, pendet tibi fiſtula collo.
Dic age, ſi qua tenes, ſtudio meditata recenti.
Forte, neque hinc multi Soles fulſere, ſub umbra
Solus ego, dixit, ripa invitante, ſedebam:
Conanti Sacrum modulari Carmen avena,
Nuntius, Ætheria divinæ Prolis ab arce
Delapſus, ſubit, & decus immortale Puellæ
Collatum Matris, ſervata Virginis alvo.
Sic canere aggredior, comitatur fiſtula voces:
„ Quam Pater æternus, Natum miſſurus in orbem,
„ Solveret ut veteris fatalia vincula culpæ,
„ Legerat in Matrem, tempus putat eſſe docendæ
„ Alta ſuæ Mentis tandem ſecreta Puellæ.
„ Arceſſit Gabriel, alto de millibus unum,
„ Adſtant qui ſolio, quæ pars nitidiſſima Cæli eſt.
„ Ille Dei terris mandata graviſſima defert:
„ Juſſa audit, Cælo deſcendit, & aera tranat,
„ Atque maritales Naſareth delapſus in ædes,
„ Virginis ingreditur penetrale, ubi ſacra legebat
„ Oracla hæc Vatum, pandiſque libratur in alis.
„ Nec mora, dixit " Ave, Domino dilecta ſupremo:
„ Ille etenim tecum, Sancta omnes ante Puellas.
„ Audiit hæc Virgo, atque animi inſurgente tumultu,
„ Verborum reputat ſenſus, dictamque ſalutem.
„ Tunc Gabriel: Accepta Deo lætare, Maria:
„ Ne timeas: Puerum ſacrata ventris in aula
„ Conceptum, paries, illumque vocabis Ieſum.
„ Magnus erit, dictuſque Excelſi Filius: ipſi
„ David ſceptra dabit Dominus, Soliumque paternum,

„ Inque

Digitized by Google

„ Inque domo Iſacidæ Puer hic regnabit Iacob:
„ Nec metam Deus imperio, nec tempora ponet.
„ Talia qui fient, dixit, mirata Puella:
„ Quod nunquam ſim paſſa virum? Sed protinus ille:
„ Ecce ſuperveniet Sanctus de Vertice Cæli,
„ Diffundetque ſuæ virtutis Spiritus auram.
„ Sanctus erit partuſque tuus, divinaque Proles
„ Dicetur. Conjuncta etiam tibi ſanguine Eliſa
„ (Sextus hic eſt menſis) ſterilis concepit, anuſque.
„ Namque quod Omnipotens nequeat, nihil eſſe, neceſſe eſt.
„ Ecce Ancilla Dei, oblatos amplector honores,
„ Exclamat Virgo: rediitque Interpres ad Aſtra:
Sed vox Alconis fracta a ſingultibus exit,
Ac turgent oculi lacrimis, & fiſtula diſcors:
Ille tamen pergit, mixto cum Carmine fletu.
„ Ergo, Diva Parens, ſacra quo tempore ab Alvo
„ Divina exibit Soboles, ſuper Aſtra locanda,
„ Non Ædes tibi Bethleem, quo comitata Maritum,
„ Cæſaris edicto, venies, thalamumque parabit?
„ Non erit Obſtetrix, quæ Partum ſedula curet,
„ Quæque Tibi Enixæ ſolers Ancilla miniſtret?
„ Vix Tectum Præſepe dabit, vix ſtramina lectum,
„ Tuque ſuper ſtipulas, auræ vix hauſtibus uſus,
„ Membra tenella, Puer, Proles Divina, repones,
„ Incipieſque pati vitæ mortalis ab Ortu?
Ingeminat lacrimas Alcon, & ſuſpiria rurſus,
Labra nec emittunt, reddit nec tibia voces.
Tunc ego, Paſtoris feſſi, flentiſque miſertus:
Jam tua Muſa ſatis, dixi, Alcon, deſine: poſthac
Iſta vel ipſe canes, alios aut iſta docebis.

DEI-

Digitized by Google

DEIPARÆ ITER AD ELISABETH.

Ecloga II., seu Alcippe.

Thyrſis, *Mycon*.

Thyr. Contigit hanc totam quamvis mihi ducere noctem,
Vix non inſomnem, ſolumque miſerta, coactum
Luminibus retulit feſſis Aurora ſoporem;
In valles nondum depulſa a montibus umbra,
Surrexi: in plumis vigilem recubare moleſtum;
Et dux anteeat niſi ſæpe ſenecta juventæ,
Tota labat domus, ingenti caſura ruina.
Ecce Mycon veniens ad paſcua tardior exit
Cum grege, Paſtorum ſolitus qui primus adeſſe.
Vel non firma ſalus: heſterno veſpere certe
Hinc abiit querulus, vel cura repente ſuborta.
Sed facie eſt hilari, nec quidquam monſtrat acerbi.
Quæ fuit inſolitæ non expectata Myconi
Cauſſa moræ? Fauſtam credo, riſu indice in ore.
Myc. Noſtra domum Alcippe rediit, comitata Puellam,
Joſephi Sponſam, quocum conjunximus olim
Hoſpitium, nos, dum Naſareth, huc ille veniret.
Huic dedit Alcippen comitem, Montana petenti,
Viſeret ut quandam ſibi junctam ſanguine Eliſam.
Vix tetigi limen: pecudes jam clauſerat Ægon;
Obvia fit nobis. Juſſis ſalvere viciſſim,
Atque, Satin ſalvæ? Ambobus quærentibus una:
Sat bene pro rerum vicibus, reſpondimus ambo.
Interea Nati veniunt, Matremque ſalutant,
Pluribus ac ſolito, ſolito jam menſa paratur
Largior, & Cyathi, lætique accumbimus omnes.
Tunc dapibus ſaturis inſurgit ſcire voluntas,
Quale iter, & caſus, mores qualeſque Puellæ.
Protinus Alcippe, viſis jam pectore plena,

Ex-

Expedit ora libens, atque ordine ſingula pandit.
Te duce, jam noſti, ad Joſeph pervenimus ædes:
Comiter excipimur: tua te diſcedere cogit
Cura ſtatim gregis: ingreſſæ mihi amabilis hoſpes
Occurrit, ducitque intro, comitante Marito,
Et narrat, quæ cauſa viæ. Jam proxima nox eſt,
Quæ vocat ad menſam, in parvo mihi deinde cubili
Lectulus inſtruitur, dormitumque itur, & ante
Surgimus Auroram: in promptu jam cuncta, ſuamque
Terque, quaterque mihi Joſeph in limine Nuptam
Commendat, dictoque Vale, nec plura loquutus
Cordis ab angore, in tecti penetrale receſſit
Triſtis, nec minus illa viri commota dolore,
Turgida diſcedens cohibet vix lumina fletu.
Egredimur Naſareth, & iter, quod flectit ad Auſtrum,
Cepimus, ac ſeptem, Superis tutantibus ipſis,
Cælo nec pluvio, nec nulla nube ſerenos
Condidimus Soles, agiliſque puella præibat,
Sed metita gradus, via ne properata fatiget
Me nimis: illa ſui minus eſt, quam provida noſtri.
Jam Sol octavus medium confecerat orbem,
Nec, Montana inter, procul eſt, quam quærimus Hebron:
Hora vocat, ſolita recubare ſub arboris umbra;
Sumimus inde cibum, ſub noctem ſumere rurſus
Mos erat in tecto, ſomnoque ibi membra levare,
Quod erat extructum peregrinis forte Puellis,
Servabantque locum matres, tutela juventæ.
Inſtauramus iter, ſpes ante crepuſcula noctis
Eſt intrare urbem, ac tutum reperire cubile.
Hæc inter, paſſu retro properare ſenili
Conſpicimus vetulam, ſeſeque adjungere nobis
Conantem: tunc, Mater, ait, mea cura, Puella:
Siſtere pauliſper vellem, niſi diſplicet, hancque
Expectare placet: fortaſſe opis indiget: illa

Ad-

Digitized by Google

Adſequitur, comiteſque viæ lætatur adepta.
Multa loquebatur: Sed fuſca cœperat umbra
Spargere nox terras, & mœnia tangimus Urbis.
Ingredimur, pauperque anus in ſua tecta recepit,
Et parvam hoſpitibus menſam, lectumque paravit.
Jamque dies aderat: video ſurrexe Puellam,
Orantemque genu flexo, manibuſque, oculiſque
Sublatis, nec nixa ſolo eſt, ſed in aere pendet.
Obſtupui primum, quærenti poſtea, Mater,
Reſpondit: Forſan te luſit imagine ſomnus.
Jam tum magni aliquid cœpi hanc reputare, meamque
Sic colere, ut dominam. Grates poſt egimus illi,
Quæ nos excepit, Vetulæ: diſcedimus, atque,
Quod reſtabat iter, ſublimis vertice montis,
Non leve, complemus, tactoque cacumine, viſa eſt
Surgere parva domus: propius quo accedimus, ipſa
Apparet major, nitido neque ruſtica cultu:
Ante fores hortus, via longo dividit iſtum,
Ordine Palmarum, ad fructus quæ conſitæ, & umbras.
Ad latera in Colles deſcendit vinea duplex,
Valle & in extrema cœpit flaveſcere ariſta.
Vidit ab excelſo venientes limine Eliſa,
Vidit, & agnovit junctam ſibi ſanguine: & annis
Quamvis illa gravis, graviorque a pondere ventris;
Venit in occurſum, atque eſt amplexata Puellam.
Tunc ego ſuſtollens oculos, contemplor utramque:
Et decus, & Pietas hujus fulgebat in ore:
Aſt erat alterius facies mutata, nec illam
Quid mortale putes; afflata eſt numine quando
Jam propiore Dei: Venter ſubſultat, & Infans
Ante dies ortus cæleſti vivit ab aura.
Vaticinata ſtatim mulier ſic ora reſolvit:
„ Sola o Feminei, ſalve lux inclyta ſexus,
„ Tuque, Puerque tuæ fructus lætiſſimus Alvi.

Un-

Digitized by Google

„ Unde mihi, ut veniat Domini ſanctiſſima Mater
„ Ad me? Nam tua vix noſtras vox attigit aures,
„ Lætitia in ventris cœpit geſtire receſſu
„ Infans. O felix quæ credideris; rata fient
„ Quæ promiſſa tibi, delapſo Interprete ab Aſtris.
Hoc decus, hanc ſortem demiſſa fronte, puella
Audit, & arrecta cecinit venerabile Carmen.
„ Mens mea magnificat Dominum, inque auctore ſalutis
„ Spiritus exultat: Famulam me namque miſellam
„ Reſpexit: Jam nunc dicent me ſæcla beatam.
„ Magna mihi Omnipotens fecit, nomenque per orbem
„ Extulit ille ſuum, fauſtum metuentibus ipſum,
„ Natorum natis, & qui naſcentur ab illis.
„ Brachium idem Omnipotens fecit, fecitque potenter:
„ Diſperſit corde elatos, & ſede Tyrannos
„ Depoſuit, neglectoſque in ſolia alta vocavit.
„ Ditavitque inopes, diteſque emiſit inanes;
„ Suſcepit Puerum, mitis memor indolis, Iſrael;
„ Fatus ut ad Patres, Abraham, Natiſque per ipſum
„ Ad regale decus ſæclorum in ſæcla vocatis.
Hæc vix effata eſt, ſudoque per aera Cælo
Auditur Tonitru, radiiſque nitente Puella
Cingitur a nebula, flavamque innoxia circum
Aura levis flammæ volitat, lambitque volatu
Cæſariem, fugiens interque reponitur Aſtra.
Non tamen ille ſtatim diſceſſit ab ore Puellæ
Splendor, ut, a Solis rutilat quæ lumine, Nubes
Fulget adhuc: Noſtris Sol etſi abſconditur oris.
Obſtupuere omnes, Seniorque Maritus Eliſæ,
Quippe Sacerdotum de Gente, Oracula Vatum
Mente volutabat, David quæ magna Nepoti
Regna reſervarent, ſolvendaque vincula Judæ,
Et qualis radix, Flos unde orietur Ieſſe.
Ingredimur limen: tanto dignatus honore

Hoſpi-

Digitized by Google

Hoſpitis Auguſtæ Conjux lætatur uterque:
Sed recolit ſecum Myſteria Sacra Puella,
Et ſibi grande decus collatum; talis ut eſſet
Mater, virginei damnum non paſſa pudoris,
Sorte nec ipſa ſua, merita nec laude ſuperbit.
Sed jam Luna ſuum novies compleverat orbem,
Impatienſque moræ, vitales partus in auras
Exit, lætitia ingens, quamquam ſera, parentum,
Gratanteſque domum læti venere propinqui,
Et prolem agnoſcunt, Cæli data dona Senectæ.
Poſtque puerperium, cujus mihi credita cura,
Illa recepit onus Nati ſimul, atque Parentis.
Adſidet ad lectum, & Matri non lenta miniſtrat,
Vel puerum involvit pannis, cuniſque reponit;
Aut lac hauſturum materna ſub ubera geſtat.
Jam partus abiere dies, Naſarethque redire,
Tempus erat: flentes divellimur: uſque Maritus
Collis ad extremum ſolus comitatur, Eliſæ
Nondum firma ſalus illam, Natique tenebat
Cura domi. Emenſis levior via: nocte ſequuta,
Noſtra anus excepit: nec Sol disjecerat umbras,
Surgimus, & ſequimur: totidem, quot ante, diebus
Tota peracta via eſt, patriamque redimus in Urbem.
Occurrit Joſeph, adventu lætus, utrinque
Dicta ſalus. Caſus cognoſcere noſtros,
Atque iter exoptat, ſenſus qualiſque mariti,
Cum partu amborum eſt uxor ſolata ſenectam.
Omnia narramus: grates egere mihique,
Reddendaſque viro. Veniam diſcedere, quando
Tempus adhuc, poſco: licuit vix limine tandem
Exire impletæ lacrimis, & flentibus ipſis,
Nec niſi pollicitæ cras, cumque Mycone, reverti.
Effata hæc tacuit; ſomnum nox alta vocabat,
Urgebatque oculos, immittebatque ſoporem.

P A-

PASTORES AD PRÆSEPE.

Ecloga III., seu Silvanus.

Palæmon, *Menalcas*, *Silvanus*.

Pal. QUæ lux? Non Lunæ: Luna eſt abſcondita terris:
Nec fulgere poteſt, qui certe diſtat ab ortu
Lucifer, ut plauſtrum monſtrat, tarduſque Bootes.
Aſpice ut, ætherio delapſa e vertice, nubes
Impendet Colli, radiis oppleta, Menalca!
Forte hæc triſte aliquid pecori portendit, & arvis.
Men. An queat hoc metui? Concentus aera mulcent:
Nec ſimiles illi, dulcis cum tibia Mopſi
Reſpondet Lycidæ, tangenti pollice chordas,
Alternatque ſonos cantu puer Alpheſibœus.
Sed tantum noſter diſtat concentus ab illis,
Quantum Luſciniæ ſuperant dulcedine Picas.
Pal. Clara, vide, Nubes aperitur, nube decori
In media apparet juvenis pulcherrima forma:
Tempora cæſaries criſpo cui flava capillo
Ornat, cæruleam ſubnectit fibula pallam,
Demiſſam ad ſuras, gemmiſque relucet, & auro:
Latæ humeris hærent alæ, ac talaria plantis.
Men. Solvere hic in voces juvenis velle ora videtur.
O utinam læſi referat ne Numinis iram!
Non illi adſpectus certe eſt adverſa minantis.
Nuntius. „ Ne nova, Paſtores, mentem lux terreat iſta.
„ Nam rutilat ſplendore Dei. Jam Nuntius adſum
„ Lætitiæ ingentis, totus qua implebitur Orbis.
„ Namque Infans hodie regali exivit ab Alvo,
„ Veſtra Salus, Chriſtus Domini, Davidis in Urbe,
„ Quæque fuit Regi quondam incunabula, Bethleem,
„ Nunc ipſa exiguum tribuit Præſepe Nepoti,

„ Et

Digitized by Google

„ Et Cunas paleæ, & Matris velamina amictum.
„ Iſta dabunt Vobis Infantis ſigna reperti.
Pal. Sed novus ecce Chorus prodit de nube, Menalca,
Commiſcetque melos: magna eſt audire voluptas.
Chorus. „ Gloria, laus, & honos Tibi ſit, Rex Maxime Cæli:
„ Pax veniat Terris, lætiſque ſupervolet alis
„ Conſilio æterno electos, & numine fauſto.
Men. Lucida contrahitur Nubes, ſociiſque, Palæmon,
Stipatus Cæli Interpres, ſuper Æthera ſcandit,
Stellarumque ſuum miſcet cum lumine lumen,
Aſtra nitent rurſum, redeuntque ſilentia noctis.
Quid facimus? Non ſomnus erat, non luſit imago:
Vox Superum, vox illa Dei: nos juſſa ſequamur.
Pal. Ire placet: vacui ſed nos non ibimus: agnum
Ferre decet, melliſque favos, & Cymbia lactis:
Parva quidem ſunt hæc, inopis ſed munera dextræ.
Vos, Pueri, nobis ſervate abſentibus, agnas:
Non procul Aurora eſt, repetit Spelæa Luporum
Turba rapax, neque fur veniet, latrante Lyciſca.
Men. Nunc iter ingredior, non factum nuper: ab ipſo
Bis ſegetes Meſſor legit, bis Vinitor uvas.
Sed juvit rupiſſe moram; dum talia nobis
Nuntius e Cælo retulit, dum vidimus ipſi,
Aera tam rutilo fulgentem lumine, & inter
Stare alios medium hunc Juvenem, divina canentes,
Et miſcere Choros, & lucida ad Aſtra reverti.
Pal. Ex quo me Genitor ſecum ducebat in Urbem,
Quo tondebat oves maternus tempore verno,
Thyrſis, Avus, montis qui a culmine habebat ovile
Non procul, & multi interea fluxere Decembres;
Non noſtra abſuimus Caula, nec vidimus Urbem.
Poſt Avus, & Genitor ſua fata ſequutus uterque eſt.
Nunc Silvanus oves, & paſcua poſſidet hæres.
Sed mens auditis, viſiſque impulſa repente,

Hoc

Digitized by Google

Hoc iter ingredier nunc me quoque juſſit, & ipſa
Ante pedes properat, culmen pertingere montis,
Jamque ſibi Pueri vultus, ac lumina fingit,
Et ſecum: In gremio Matris ſic ille jacebit,
Oſcula ſic ſumet, ſic ora, manuſque movebit.

Men. Sed Sol, dum gradimur, loquimurque, extollitur undis,
Ac ſumma adſpergit radiis juga roſcida collis,
Et capita herbarum referunt a Sole colores,
Ut formoſa ſolet mediis in nubibus Iris.

Pal. Qui prius occurrit, Tumulum mihi ſuggerit ipſum
Montis iter, feſſo ſedem tribuiſſe Parenti:
Quippe ſenex fruſtra, poſtremo ad Thyrſin euntem
Conatus Juvenem comitari paſſibus æquis.
Quem ſuper interea hæc illum memoraſſe recordor:
Hic David fortaſſe, pecus dum paſceret herbas,
Ad Cytharæ ſonitum præconia ſacra canebat.
Forſan & hoc nemus eſt, quod lævum quercubus altis
Pone ſubit clivum, mediumque cacumen opacat,
Ille ubi, prævalidis arrepti colla Leonis,
Detinuiſſet ovem ſi quando fauce capaci,
Stringebat manibus: fera mox extincta jacebat.
Iſta ne planities, dixi, in qua immane Gigantis
Corpus ſtravit humi funda, & caput abſcidit enſe?
Non locus hic, inquit: Terebinthi in valle ſed illa
Bellua procumbens jacuit ſine vertice truncus.

Men. Ex quo præterii, nunc alter clauditur annus,
Hæc Nemora, arboribus quantum crevere, Palæmon,
Quæ late effundunt ramos! Vix credere poſſum,
Eſſe illas, quas vidi humiles æquare Myricas.

Pal. Lucus hic ad lævam diffuſus ovilibus oram,
Solis ab acceſſu, radios arcentibus umbris
Ramorum implexu, atque horrore intactus inani,
Invius ante fuit, ſolum antra diurna ferarum:
Auſi homines tandem ferro penetrare receſſus,

Quæque redundabat, dejecta, cetera præbet
Silva Viatori viridis ſpectacula Scenæ.

Men. Sed ſumus hæc inter vix non in vertice montis:
Quin etiam Bethleem Turres, & mœnia ſurgunt.
Urbs accepta Deo ſalve, ſalvete beatæ
Tecta, ſolumque Urbis, tellus non infima Iudæ,
Parva licet, toto poſthac celebraberis Orbe.

Pal. Sed venit huc verſus noſter Silvanus, ovili
Qui pecus eduxit, nec multum a tramite diſtat:
Expectare placet, pauciſque docebimus illum
Viſa modo, adjunget comitem ſe forſan & ipſe.
Accedit, non fronte hilaris, pectuſque momordit
Curæ aliquid. Salve, Silvane: ad paſcua ducis
Tempeſtivus oves.

Sil. Noctis mihi fata ſiniſtræ,
Qua binæ pecudes binos peperere gemellos,
Atque ipſis periere ſimul cum Matribus agni,
Avertere oculis ſomnum: Dilecte Palæmon,
Salve, quem nobis materno ſanguine quamvis
Conjunctum, tamen a multis non vidimus annis,
Nos inter nec longe diſtat, Tuque, Menalca.
Quæ nova cauſſa viæ? certe gravis impulit, arvis
Jamdudum inſuetos, laribuſque exire paternis.

Pal. Magna quidem, Silvane; Puer, ſpes noſtra, ſaluſque,
Quem ſacri quondam Vates cecinere futurum,
Natus in hac nocte eſt Bethlemi, inviſere & ipſum,
Ante diem nova lux monuit, Cælique miniſter.

Sil. Ite ſtatim, properate gradum, mihi viſa referte,
Hic adero: interea pecudes ad pabula cogam.
O Deus, o tandem noſtros miſerate labores,
Munere pro tanto quod poſſum reddere munus?
Paſtoris ni ſpernis ovem, de ceſpite vivo
Erectam ſuper, ipſa cadet Tibi, & imbuet aram.
Sed dum Paſtores redeunt meditabor avena

Con-

Digitized by Google

Conveniens Puero Carmen, mihi nuper Amyntas
Quod dedit, exſcriptum patulæ de cortice Fagi.
Experiar numeros, ſed facta a tempore diſcors
Illa eſt: conabor voces aptare canenti.
„ Expectate diu, intacto de germine Ieſſe,
„ Naſcere, Magne Puer, noſtræ lux inclita Gentis,
„ Sævaque captivæ jam vincula ſolve Sionis,
„ Ejus & imperio, quæ nunc dominatur, Idume
„ Serviat, ac Domino Sceptri Tibi reddat honorem.
„ Adproperate dies, atque aurea ducite Sæcla,
„ Quæ Vates cecinere ſacri: cum flumina paſſim
„ Lacte fluent, Plantæ ſudabunt roſcida mella,
„ Nec, niſi fulta, feret Vitis curvata racemos:
„ Cumque gravis ſtipulas inflectet pondus ariſtæ,
„ Prataque læta herbis, & ramos poma gravabunt,
„ Et mane ad mulctram venient, ac veſpere plenis
„ Uberibus pecudes, oculus nec faſcinet agnos.
„ Pax quoque tunc aderit, præcinctaque tempora Oliva,
„ Excurret Terras, toto ac dominabitur Orbe:
„ Tunc erit una domus Pardi, ſimæque Cappellæ,
„ Cumque Lupo pecudes, nullo cuſtode cubabunt,
„ Et ſimul in pratis Vitulus paſcetur, & Urſus,
„ Cum canibus timidi venientque ad pocula Damæ.
„ Non puer adſpectu terrebitur Aſpidis; una
„ Sed blande ludent altæ ſuper ora Cavernæ “.
Paſtores redeunt; montis cepere cacumen:
Urget iter declive ſolum, ſandique voluntas.
Jam jamque accedunt: mihi cura eſt cuncta doceri:
Noſter, jam video, verbis parat ora Palæmon.
Fare age, viſa refer: tam avide nihil auribus hauſi.
Pal. Quærere Bethlemum juſſi, diſceſſimus iſthinc,
Proſequimurque viam, ſuperato culmine montis:
Urbs in conſpectu eſt, Urbis, qua ſpectat ad Auſtrum,
Ad latus, ut noſti, vicus, pecori aptus alendo,

Digitized by Google

Intus adeſt Præſepe, domus cui ruſtica adhæret,
Parva quidem, ſed munda domus, natuſque, paterque
Incola, & æſtivis ambuſta a ſolibus uxor.
Præſepe ingredimur: ſubito ſacer ingruit horror,
Majeſtate Dei, quamvis ſub paupere tecto.
Quam decet in Solio ſuper Aſtra ſedere, Puella
In ſtipula jacet, inque ſinu jacet illius Infans.
Quæ facies Puero! certe Cæleſtis: in ore
Elucet decus, inque oculis duo ſidera fulgent.
Mœſta ſed in pulchra cernas veſtigia fronte.

Sil. Talia, nunc memini, quondam narrabat Amyntas
De Puero, nobis divina volumina pandens.

Pal. Lumina ab adſpectu neſcit divellere mater
Nati, nunc lacrimas ſpargit, nunc oſcula libat.
Aſt ille, ut credas ipſam cognoſcere matrem,
Hanc verſus ſemper faciemque, oculoſque tenebat.
Sic Roſa, ſic roſeus matri qui floſculus hæret,
Illa ſinu laxo, contracto hic vertice, amanſque
In caput alterius caput alter flectit amantis.
Et comes, & ſocius curarum, idemque maritus,
Pone ſenex aderat, cujus robuſta ſenectus,
Hic dolet, & gaudet. Divinæ namque recurſat
Prolis honos menti, tamen hanc deflebat egentem,
In paleis, interque boves, aſinumque locatam.
Dona ſeni dedimus, juſſo ſalvere, priorque
Cura fuit Pueri dextræ, limboque Parentis
Oſcula libandi: poſt hæc ſic ora Menalca:
Alme Puer, ſalve, noſtræ ſpes unica Gentis,
Cæleſtis Proles, ſubito teſtata nitore,
Cælitibuſque Choris, delapſa & voce ſuperne,
Creſce potens, & Regna, Tibi jam debita fatis,
Ingredere, ac ſævi fracta cervice Tyranni,
Solve jugum, Terriſque affer ſacra fœdera Pacis.
Tuque beata Parens, Dea nunc, quæ femina, ſalve;

Pa-

Digitized by Google

Paſtorum, pecoriſque eſto tutela, preceſque
Accipe Tu noſtras, votiſque adſueſce vocari.
Poſtea digredimur flentes, & lumina retro
Sæpe revolventes, ſacra donec tecta recedunt.
Sil. O quæ proſpicio felicia tempora! Vota
Iſte Puer Patrum implebit, vetereſque figuras,
Et proculcatæ reddet ſua jura Sioni.
Ipſe ego cras ibo Bethleem, & narrata videbo.
Si vultis, quando jam Sol attingere curſum
Feſtinat medium, mea fertque Nigella Caniſtrum,
Sumere pulmentum mecum, panemque poteſtis.
Iſta tribus ſat erunt. Etenim ſolet eſſe Nigellæ
Larga manus: poteritque domum illa impranſa reverti.
Poſt hæc ad Caulas vobis remeare licebit.

MAGI AD PRÆSEPE.

Ecloga IV., seu Meliboeus.

Melibœus.

FAginea quondam recubans Melibœus in umbra,
Poſtquam pertæſus nemorum, pecoriſque paterni,
Diſcedens voluit varias inviſere Terras,
Non modo finitimas, Arabas cognovit, & Indos:
Pœnituit tandem (fervor miteſcit ab annis)
Et Solymam venit, rediitque ad Ovile relictum,
Bethlemi referebat iter, comes ipſe Magorum,
Quos erat Eois olim ſectatus ab oris.
Interea Corydon pendebat ab ore loquentis,
Et Lycidas aderat. Tunc cœpit ſic Melibœus:
O felix Arabum Tellus! Felicior illa,

 Cu-

Digitized by Google

Cujus Erythræum latus eſt, habitantque Sabæi!
Prata thymo florent, flavique in vite racemi,
Meſſorumque manus laſſantur pondere ariſtæ:
Thura etiam frutices, myrrhamque e cortice ſudant,
Terra nec in gremio ſibi ſervat avara metalla.
Hic Adamas oritur, Carbunculus, atque Smaragdus,
Quorum ſola pares generat vix Indica Tellus,
Roris & e puro delabitur Æthere gutta,
Excipiturque ſinu ludentis in æquore Conchæ,
Creſcit, & in baccas, gratumque monile puellis.
Inde Magi cepere viam: Iam fræna ſuperbus
Mordet Equus, dorſo pondus portatque Camelus,
Factaque prodigii ſtella eſt, curſuſque magiſtra,
Quæ non nocte magis comes eſt, quam luce diurna,
Et ſiſtebat iter, nobis ſiſtentibus ipſum.
Jamque Saba egredimur, reſonat clamore viarum
Urbs tota, & tacitum murmur, quo tendimus, exit,
Et quæ cauſſa viæ, pertentant pectora cura.
Læta parant primum pulcro ſpectacula viſu
Planities, hic, illic magnæ molis & Ædes:
Stant circum poſiti colles, loca conſita palmis,
Nec Vineta minus gignendis apta racemis,
Ubertate ſoli, nec torpent frigore campi,
Ulla nec æſtivo torretur Gleba calore.
Finibus egreſſis, Arabum pars altera ſurgit,
Quam diſpar cultu Telluris, & indole! totam
Scrupea ſaxa tegunt, Torrens ac ſternit arena.
Inde Petræ nomen traxit, neque ſuſtinet Urbes.
Triſte iter, & longum, nec differt proxima Idume.
Ultima deſertis Regio extat inhoſpita campis,
Solis ad occaſum, Solymæ quæ reſpicit Arces.
Heſperias decies delapſa luce ſub undas,
Undenos Aurora dies reddebat Olympo,
Ex quo cœpta via eſt: Jordanis litus amœnum

Aſpi-

Aſpicimus tandem, Aſphaltitis ad Oſtia, finis
Ille Paleſtinæ, excepto, quod dividat undis
Particulam, & pleno decurrit flumine aquarum.
Jamque rates aderant ripis, deſcendimus omnes.
Exonerantur Equi, exonerantur dorſa Cameli,
Ingrediuntur aquas, ripam arripiuntque natantes.
Interea vaſa, & collecta viatica in arcis,
Et plenos Myrrhæ Vidulos, & thuris, & auri,
Nocturnaſque domos, ratibus tentoria pandis
Imponunt Famuli, ratis ipſi ſarcina facti,
Excipiuntque Magos Naves, comiteſque Magorum.
Flumen aquæ remis contendunt frangere Nautæ,
Donec in adverſa ponant ſua pondera ripa.
Conveniunt, repetuntque viam, lituſque relinquunt.
Seſſorem jam portat Equus, rurſumque fatigat
Dorſa Camelorum finita ſarcina mole,
Cedron monſtrat iter, ductis a montibus undis,
Non procul a Solyma, Jordanes excipit ipſum
Menſibus imbriferis, vel ſicco margine arenas.
Proſequimur curſum, ſequiturque fideliter Aſtrum.
Mite ſolum magis occurrit, mitiſſimus aer.
Et jam nox aderat, dapibus, ſomnoque levandi
Corpora, tempus erat, Famuli tentoria ponunt
De more, & menſas, lectoſque: accumbimus omnes,
Immittitque gravem feſſis via longa ſoporem.
Surgimus, at citius phaleris ornaverat Eos
Solis equos, ſoliſque viam, ſtellamque ſequuti,
Progreſſique aliquid, Siloe, Solymamque videmus,
Quo ſperare juvat pertingere poſſe, priuſquam
Sol iter attingat medium, niſi ſemita fallit.
Spes ipſa accelerat paſſus. Urbs alta propinquat,
Et tota apparet, non Culmina ſola Sionis.
Conclamant omnes: Solymam! meta illa viarum.
Gratanturque Magis: illa eſt, quam quæritis Urbem,

 Rega-

Digitized by Google

Regaliſque Puer Regali natus in Urbe eſt.
Impellit tum calcar Equos, ſtimulique Camelos:
Fervet iter, curſuque viam majore voramus.
Iam prope ſunt muri, calcant pomœria plantæ.
Hic finis: nam ſtella viæ non amplius index.
Porta patet, ſtabat, cuſtos in limine portæ,
Armatus miles: qui ſimus, quidque petamus,
Quærit: quippe Duces cernit, turbamque ſequentem.
Nos Arabes, dixere, Magi, Gentemque Sabæam
Conſilio regimus, ſtellarumque arte peritis,
Paucos ante dies nova nobis ſtella refulſit,
Quæ Pueri regale genus, Terramque beatam,
Quæ Natum exciperet, monſtrat, dux ipſa viarum.
Vix Solymæ attigimus muros, ſtetit illa, nec ultra
Illuxit nobis: hic certe eſt editus Infans.
Quærimus hunc Puerum, hæc Regi vos dicite veſtro.
Sic ipſi referunt. Tentoria ponimus extra,
Hybernæ adverſum impendentia tempora noctis.
Rex erat Herodes, magnis qui natus agendis
Rebus, at invidiæ ſtimulos, gelidoſque timores
Circa pectus habet, nulli feritate ſecundus.
Audiit iratus, Legiſque repente Magiſtros
Conſulit, Hebræis, qua Rex promiſſus in Urbe
Debuerit naſci? Bethlemi, ex Carmine Vatum,
Reſpondent. Vocat ille Magos: ite, inquit, in Urbem
Bethlemi: Puerum Regem invenietis in illa,
Invento, cultoque pie, redeatis, ut ipſe
Hunc miſſum a Superis, poſito diademate, adorem.
Hæc mea veſtra domus: ſimulato ita pectore fatur.
Egreſſis Solyma, apparet dux fulgida rurſus
Stella viæ, paulo poſt alti in vertice montis
Mœnia Bethlemi. Subito clamamus Ovantes,
Ecce locus, felixque aer, ubi, cognitus aſtris,
Infans humanæ cepit primordia vitæ.

Cam-

Digitized by Google

Campus ibi occurrit lato æquore, & herbidus: illic
Siſtere juſſa cohors, pedibuſque aſcendere Montem,
Et ſoli ſtatuere Magi: facerentne ſacrati
Religione loci, an levior quod ſemita facta
Sic foret, & minus impediens, incerta voluntas.
Me comitem voluere tamen: vixque unus, & alter
Additur, Infanti qui Patria munera portet.
Scandere jam Montem incipiunt: via longa fatigat,
Arduus & callis, Puerum reperire; ſed ardor
Ingeminat paſſus, ac vim conantibus auget,
Et poſſunt, quia poſſe putant, tandemque cacumen
Attingunt, reliquumque viæ æquo tramite complent.
Stella huc uſque præit, ſed nunc immota reſiſtit,
Fulgidior ſolito, & parvum Præſepe ſuperſtat,
Atque hic eſſe monet Regem, qui quæritur: horror
Tunc ſacer ingreditur pectus, pietaſque Magorum,
Ingreſſique genu flectunt, & Numen adorant
In Puero: cæleſtis enim prodibat ab ore
Lux, teſtata Deum. Poſt hæc Matremque, Patremque
Laudibus exornant, & Natum ſupplice lingua
In ſua fata vocant, & fauſta ſibi omina poſcunt,
Donaque quiſque tria offert, Myrrhæ, Thuris, & Auri.
Tandem diſcedunt hilares, & numine pleni,
Collectiſque ſuis, quod iter deducit ad Hebron,
Arripiunt, complere viam juvat æquore: namque
Vox vetat ad Regem, in ſomnis audita, reverti.
Aſcendunt naves, notoque e litore ſolvunt:
Aſt ego digrediens lacrimis divellor obortis.
Hæc Melibœus narrabat Lycidæ, & Corydoni,
Hæc Lycidas nobis hibernæ noctis ad ignem,
Pendebantque omnes narrantis ab ore; gravaret
Donec blanda quies optato lumina ſomno.

HE-

Digitized by Google

)(XXVI)(

HERODIS FUROR, ET PARVULORUM STRAGES.

Ecloga V., seu Damoetas.

Tityrus, Mopſus, Damœtas.

Tit. AUt ego Damœtam, vel me mea lumina fallunt,
Qui duri impatiens Patris, injuſtæque Novercæ
Paſcua deſeruit Naſareth, Solymamque profectus
Paſtori acceſſit, Cuſtodes inter Ovilis.
Culmine deſiluit, credamque huc tendere verſus.
Mopſe, vide, aut ille eſt, alterve ſimillimus illi.
Mop. Tityre, Damœtas rediit, ſeu facta Noverca
Æquior, & Pater in natum non aſper, ut ante;
Seu potius didicit, longo bene doctus ab uſu,
Intoleranda magis Domini, quam Juſſa Parentis.
Tit. Dum loquimur, montis Paſtor deſcendit ad ima:
Nec valde hinc diſtat. Si vis occurrere, Mopſe,
In lata jam Valle pecus depaſcitur herbas,
Dumque ſuum ſervat, noſtrum quoque ſpectat ab alta
Montanus ſpecula: Tutum eſt Cuſtode ſub illo.
Mop. Non prius effuſas Fagi veniemus ad umbras,
Quam nos excipiat Damœtas paſſibus æquis.
Aſt prior ille venit, curſu ſed pectus anhelat,
Sudor & in vultu eſt. Salve, o quocumque videmus
Tempore, Damœta, nobis gratiſſime ſemper.
Dam. Et vos, Paſtores. Mihi, vir gregis, Hircus, aberrat.
Hunc venio quærens, iſtuc, retulere, reverſum,
Natus ubi fuerat, veſtras interque Capellas,
Parvus adhuc quamvis, agna tamen emtus adulta:
Fronte niger, maculoſus tergore, cetera candens.
Mop. Venit heri, notoque gregi ſe miſcuit hircus,
Siſte gradum, ad veſtras poteris cras ducere Caulas.
Feſſa via interea patulæ ſub tegmine Fagi

Mem-

Digitized by Google

Membra levare juvat, narrandaque plurima habebis,
Damœta, Solymæ regreſſus nuper ab Urbe,
Evulgata trucis crudelia geſta Tyranni,
Qui nihil innocuo Puerorum ſanguine cunas
Spargere, & in gremio natos jugulare Parentum,
Horruit, Hircanis rabie non Tigribus impar.

Dam. Infandum me, Moſpe, jubes, memorare furorem,
Immaneſque neces, quas vidi, aut auribus hauſi.
Herodes poſtquam Natum, cui fata paraſſent
Sceptra Paleſtinæ, audivit; præcordia circum
Invidiæ ſtimulos ſenſit. Spes una levabat,
Eripere huic vitam, & ſic poſſe illudere Fatis.
Præcipit ille Magis, Puerum quærentibus; ipſo
Bethlemi invento, redeuntes tecta referre,
Sub quibus is foret, ut meritos præſtaret honores.
Non latuere doli, effœtoque in pectore livor.
Mutarunt iter, hoc, Stella monſtrante, reperto:
Æquorea ſtatuere via in ſua Regna reverti.
Ut ſpe delapſum ſe vidit, & arte doloſa,
In varios trahitur ſenſus, animoque recurſant
Mordaces curæ, & præceps accenditur ira.
Quid faciat, dubius: Videt ille nutare Coronam,
Detractam capiti alterius: Sic volvere Fata.
Arceſſit famulos: Ite inquit, pervadite totam
Bethlemum, quævis penetralia cæca ſubite:
Ite, redite, Urbis lateant nec ſepta, nec ædes.
Bethlemo egreſſi, vicos, atque oppida circum
Quærite, fama novi indicet an veſtigia Regis.
Imperio parent famuli, ſed inutilis omnis
Cura: Puer tota inventus nec in Urbe, nec extra.

Mop. Regis ab inſidiis illum ſervavit, & ira
Aut Deus, aut moniti longe duxere Parentes.

Tit. Hiſce oculis vidi, nunc plane, Moſpe, recordor,
Nec multi fluxere dies, cum forte Capellam

De-

Digitized by Google

Deferrem Naſareth, vetulo comitante, Puellam
Dorſo Aſinæ evectam, in gremio Puerumque jacentem.
Quis pudor in vultu! Vultus quam pulcher utrique!
Sive ſenex fuerit famulus, ſive ipſe maritus,
Incola vel novus eſt, vel non mihi cognitus ante.

Dam. Tunc triſtes famuli rediere, ſibique timentes:
Tollere non audent oculos, non ſolvere linguam.
Senſerat Herodes. Non amplius ulcus acerbum
Diſſimulare poteſt; gelidus nam tota pererrat
Oſſa tremor, pallorque prius diffunditur ore,
Poſtea turgeſcit temerato in pectore bilis,
Æſtuat & facies, ac tota adſpergitur ira.
Jamque metus redeunt, torquet mens invida rurſus.
Accumbit menſæ: faſtidit pocula, & eſcas:
Deficiunt ſenſus, & nox advenerat atra,
Accurrunt famuli, ad Thalamum inter brachia portant,
Inque thoro molli, Tyrioque reponitur oſtro.
Cura vigil ſequitur, prohibetque a limine ſomnos.
Prima ſubit Conjux, mixto ſublata veneno,
Ipſi etiam Nati, Patris quos abſtulit enſis,
Aſpectu miſero terrent, turbantque ſoporem.
Tandem una Eumenidum diluta papavera ſpargit
In caput, & ſtygiis humectat tempora guttis:
Lumina clauduntur, diſpergitur humor in artus:
Semiſopita tamen mens eſt, jactantibus ipſam
Curarum ſtimulis, circum & pallentibus umbris.
Epoto ſolet helleboro furioſus ut Æger,
Cui nec certa quies, nec vim furor exerit omnem.
Tunc illa, Antigoni tetra ſub imagine Regis,
Herodis qui ſceptra dolis, vitamque reliquit,
Apparens, trucibuſque oculis, atque effera vultu,
Et voce horrenda exclamat. Rex perfide pœnas
Ultrices ſcelerum incipiunt jam poſcere Divæ,
Fraudes, & rapta, & cædes, ſanguiſque tuorum,

Et

Et meus. Ignotus creſcit, cui debita fatis
Regna Paleſtinæ, Puer. Hæc effata reſumpſit
Eumenidos formam, fumumque exhalat ab ore,
Anguiferaſque comas, ungueſque minatur aduncas.
Poſt Anguem e capite avellit, jaculatur & ipſum
In pectus Regis, Stygio evomitoque veneno,
Arreptum cauda retrahit, ſociiſque colubris
Intorquet, rediitque umbrarum ad Regna dolentum.
Tum vero Herodes, furiali percitus œſtro,
Exilit e lecto, tacituſque Cubile pererrat,
Crinibus arrectis, torvoſque huc figit, & illuc
Obtutus circum, ſpumantia labraque mordet,
Et fremit, & mugit, bovis inſtar, malleus ingens
Cui cadit in caput: ille ſtupet, nec ſternitur ictu,
Sævit adhuc, pulſatque ſolum, terretque, fugatque.
Idem erat ad limen cuſtos, ductorque Cohortis,
Cui ſenſus aperire ſuos, & fidere ſoli
Sueverat, æqualis Regi, ſpectatus & uſu.
Sanguine conjunctis Tellus natalis Idume:
Huic Regni anxietas, mens implacabilis illi,
Et genus inviſum Judæ, Patrumque ſimultas,
Crudelis Domini pejor feritate miniſter.
Ipſa Edom collecta Cohors, Solymamque peroſa,
Sola erat hæc ſemper Regis fidiſſima Cuſtos.
Tunc ſic Herodes turbata mente loquutus:
O qui præſidium Regni, Dux inclite, noſtri,
Tuque fide non nota minus, quam ſtrenua dextra,
Noſtra Cohors, veſtri ultores nunc Regis adeſte.
Si merui; ſtudium, & benefacta rependite factis:
Bethlemi, aut intra muros, aut non procul extra,
Fatalis natus Puer eſt, aliturque, latetque
Hoſtis, quem poſcunt Solymæ fata invida Regem;
Undique quæſitus, nec ſignis cognitus ullis.
Aſtra monent, Vateſque, horrendaque ſpectra per umbras.

Qua-

Quare age Bethlemum totam diſcurrite, & ipſi
Oppida finitima, & vicos, omneſque latebras,
Et quicumque puer binos non præterit annos,
Enſe cadat veſtro, lacrimis ne parcite, ſive
In gremio jaceat, ſeu pendeat ubere Matrum.
Inſontes pereant, ſonti ne vita ſuperſit.
Hæc mens, ſic jubeo, noſtra hæc immota voluntas.
Hæc audita ſatis. Bethlemi in limine Portæ
Ecce Cohors, Ductorque præit furibundus, & Urbe
Sparguntur tota, vicoſque, & compita replent,
Inque domos turmatim intrant, ſeu paupere tecto,
Seu niteant ebore, & laqueato fornice, & auro.
Quiſque repentinis ſtupet incola territus armis.
Aggrediuntur opus, quo non crudelius ullum,
Nec par Maſſagetas inter, Thracaſque feroces.
Corpora detruncant, diffindunt pectora, ab alvo,
Viſcera dependent, diviſaque membra tremiſcunt,
Sparſaque ſubſultant, tabi ſtillantia guttas.
In gremio Matrum jugulant; & mater, & infans
Aut ſimul exanimes uno labuntur ab ictu,
Aut hic vitales cum ſanguine deſerit auras,
Illaque vivit adhuc, mortis ſuffuſa colore,
Et lingua, ſenſuque caret, ceu frigida Cautes,
Nec gemitu, aut lacrimis apta eſt explere dolorem.
Aſt alia illiſum caput, effuſumque cerebrum
Arrecti pedibus, contritaque pectora Nati
Carnificis dextra inſpiciens, mixtumque cruorem,
Plena animi Genitrix (animum dat ſanguis, & ira)
Involat in crines, & vultum morſibus hoſti
Deformat totum, nec inulta occumbit ab enſe.
Matre ſuper cunas, exertas ore papillas
Sugentis Partus, ſtrata, jugulatur uterque,
Commiſcetque duplex ſanguis cum lacte colorem.
Lectulus unus habet natum, natamque gemellos,

In-

Digitized by Google

Inque jacet Fratris ſervata cruore puella.
Eſſe mares culpa eſt, binos compleſſe nec annos.
Sæpe graves etiam feriunt: furioſa cupido
Juſſa ultra fertur, lucem puer ante relinquit,
Quam videat, matriſque alvus parat ipſa ſepulcrum.
Quis fando poterit cædes numerare nefandas!
Sparſa cadaveribus ſpectares ſtrata viarum,
Impletaſque domos, ſua ſupra pignora matres,
Attonitoſque viros ſine ſenſu a limine abactos.
Quocumque aſpicias, furor undique, & undique Mortes.
Tum conjuncta cohors, fœdataque corpus, & arma
Sanguine ab innocuo, vultu cædeſque, minaſque
Spirat adhuc, miſera tandem diſcedit ab Urbe:
Egreſſa huc illuc diſcurrit, pueroſque trucidat.
Sors illis eadem foris eſt, & in Urbe repertis.
Impia crudelis jam perfecere Tyranni
Juſſa, domum redeunt, ipſi ſpolia ampla ferentes,
Arma, manuſque ſuas Infantum ſanguine fœdas.
Illa mihi hortorum cuſtos narraverat Aulæ,
Hæc partim vidi, partim hoſpes retulit Alcon.

Mop. O quam horrenda refers, & quam crudelia facta,
Quæ ſæclis nec viſa novis, nec viſa vetuſtis,
Quin etiam vix, Damœta, credenda futuris!
Speret at ille Deum, memorem fandi, atque nefandi.
Impendet capiti, innocui jam ſanguinis ultrix,
Dextra: pares ſceleri, jam Rex dabis improbe, pœnas.

Tit. Agmen ego ſic vidi quondam intraſſe luporum,
Ingluvies vacui quos ventris agebat, Ovile:
Paſtores ſtupuiſſe metu, fugiſſe Moloſſos,
Aſt ipſi pecus invadunt, & dente voraci
Diripiunt pecudes, pecudumque ſub ubere partus,
Sanguine, & epoto, carnes, & viſcera mandunt.
Jam ſatiata fames, rabies non laſſa ferarum,
Relliquias jactant in colla, feruntque ſub antra.

Mop.

Digitized by Google

Mop. Incipiunt virides umbris nigreſcere montes;
Hanc tu nobiſcum poteris requieſcere noctem,
Tityre: jam ſaturas pecudes ad ovile reduces,
Et nos, Damœta, interea ſimul ibimus ante.
Acta gravis canibus pecori ſe Caprea nuper
Miſcuit, hoſpitio gaudens: ad paſcua mitis
Mane comes pecudum paſtum veniebat, & ipſa
Veſpere regrediens: binis nec menſibus actis
Capreolos enixa duos: perit unus, & alter
Servatus vixit. Sed vix hic ubere abactus,
Scandere dum ſaxum vellet, veſtigia matris,
Caprea quæ rurſus, fugiens, nemora alta petebat,
Sectatus, cadit in vepres, & vepribus hæſit.
Tityrus accurrit, laceratum ſolvit, & aufert.
Parva erit his epulis inſtructa hoc veſpere menſa.
Sed video noſtræ fumantia culmina villæ.
Capreolum mea Niſa coquit, panem ipſa, merumque,
Et cum lactucis ſerpillum, & poma parabit;
Cumque tuo poteris cras hirco mane reverti.

FUGA IN ÆGYPTUM.

ECLOGA VI., SEU ERGASTUS.

Daphnis, Ergaſtus.

Daph. ITe, meæ pecudes, & vos ſimul ite Capellæ,
Quercus ubi intexit frondoſa cum Ilice ramos.
Æſtus torret agros, umbraque repellitur æſtus,
Hic Cythiſi flores, & latæ frontis Hibiſcum,
Ac poſitæ invitant Salices in margine fontis:
Tuque boves, quando Gregibus non ſufficit umbra
Una tribus, virga in Vallem compelle, Bubulce;

Po-

Poſtea ſi quid habes operis, dum frigora captant,
Perfice, quod reſtat, pereat nec inutile tempus;
Sive paras Calathos uvis, ſeu vaſcula mulctræ.
En venit Ergaſtus: nunc alter vertitur annus,
Ex quo iram Herodis metuens mortemque paratam,
Et mutare ſolum, & longinquas quærere terras,
Debuit: Ipſe etenim Regem, Regnumque peroſus,
Quod ſibi conjunctos communi in ſtrage peremtos
Audiſſet Pueros; Paſtores ſparſerat inter
Se ſcelus ulturum: Herodi delataque verba.
Cauſſa fuit reditus Mors, credo, audita Tyranni.
Ut valet Ergaſtus? bene certe: at fuſca calore
Facta cutis Libyæ, campiſque a Solibus uſtis.

Erg. Non iter hoc longum, ſaxa, aut deſerta viarum,
Arida non Tellus, non mobilis æſtus arenæ
Sic infeſta mihi, ut non his infeſtior eſſet
Herodis vultus: Mens tali agitata tumultu,
Et Maris, & Terræ quæcumque incommoda vicit.
Ergo viam ingredior: Naſareth egreſſus, ad ima
Carmeli montis venio, lituſque marinum
Certum præſtat iter, nec multum abſceſſimus illo:
Cura Palæſtinæ eſt excedere finibus, atque
Ejus, magna licet, non Urbs nos detinet ulla.
Jam pauci fluxere dies, longeque videbar
Cernere tunc Solymæ Turres, fœdaſque Tyranni
Sedes, averto greſſus, & lumina retro.
Ut quæ proſpexit Serpentum forte cubile,
Sibilaque audivit Baſiliſci, Ruſtica flectit,
Nec niſi tuta loco, paſſus, oculoſque retorquet.
Ira referveſcit. Prope erat mihi portus Ioppes:
Accurro, navimque adſcendo forte paratam,
Ire viam remis, vel carbaſa pandere ventis.
Nec terrent ſcopuli tantum, facileſque procellæ,
Dira domus quantum Herodis, cædeſque nefandæ.

Solvimus, & placuit tranquillum radere litus:
Aſcalona prius ſurgit, contermina Gazæ,
Utraque Judeæ finis: mare proſpicit illa,
Aſt hæc interius poſita eſt. Ægyptia Regna
Iſthinc incipiunt: Caput eſt notiſſima Memphis
Marmore Pyramidum, montes . quæ molibus æquant,
Et Lariſſæas tandem contingimus Oras,
Nocte ſuperjecta: Statio hæc ſolet eſſe Carinis.
Ingredior portum, ſiſtoque in litore: Judæ
Finibus egreſſo, cordis poſuere tumultus.
Rurſus iter pedibus, menſa, ſomnoque refectus,
Inſtituo, mediumque dies percurrerat axem;
Cum Puerum video molli dormire jacentem
In gremio matris, viridi recubantis in herba,
Innixæ Fago, Fagus ſuffecerat umbram.
Ipſa quidem vigilat, ſed luces, ſomne, fatigas.
Aſſidet huic Vetulus, ſed non detritus ab annis,
Cui pes obſequitur, mens neſcit damna ſenectæ:
Non procul eſt patera, & Vidulus, parvumque Caniſtrum,
Clitelliſque herbas poſitis paſcebat Aſellus.
Hunc, memini, Vetulum Naſareth vidiſſe, ſubitque
Quærenti, Calathos cui poſſem vendere, ementem
Inveniſſe mihi, factum comitemque, ducemque.
Jam tum cœpit amor ſenis, amplectique voluntas.
Nunc fortuna dedit, quando, huic occurrere rurſum;
Accedo & dextram cupio conjungere dextræ.
Arrigit hic ſeſe, agnovit, quem viderat ante,
Et blande excepit: primum ſuffuſa puella
Eſt pallore genas: ſed me ut noviſſe Maritum
Cernit ab amplexu, roſeo eſt induta colore,
Pulcher & e ſomno interea expergiſcitur Infans,
Oſtenditque oculos: ornant duo Sidera frontem.
Ipſe etiam ſedeo: poſcenti exponit uterque,
Suſceptæ quæ cauſſa viæ? reſpondimus ambo:

He-

Digitized by Google

Herodes: odiumque mihi, illi juſſa Tyranni
In pueros, timuitque ſuo, ſubtraxit & iræ.
Poſt narramus iter, fere idem, factique ſodales,
Et ſociata domus, parvæque Viatica Menſæ.
Surgimus, atque viam ſequimur. Portabat Aſellus
Matrem cum Nato. Sibi ſoli chara Maritus
Pignora committit, fune intortoque ſiniſtræ,
Præcedit: facta eſt mea ſarcina tota ſupellex:
Pone ſequor, pondus me, nec via longa fatigat:
Nullus erat quicumque labor, ſed ſola meorum
Cura tenet Comitum: Cælum proſpexit & illis.
Mira quidem, ſed vera loquor. Deſerta locorum
Non ingrata ſuis reddit concentibus agmen
Alituum, lætiſque comes circumvolat alis.
Sole ſub ardenti, nebula defendimur ampla:
Illa retundebat radios, & ſi qua quietis
Poſt iter, aut eſcæ inſurgit, potuſve voluntas;
Tunc viridem Tumulus ſedem, menſamque parabat
Palma, (fide major res eſt:) & Dactylus imis
Pendebat ramis, ſudabat mellaque cortex,
Nec procul intacta currebat rivulus unda,
Temperat & nimios, flando, levis aura calores.
Sic populo quondam, erranti deſerta per ipſa,
Manna, ajunt, Cælo pluviſſe, feramque repente
Extinxiſſe ſitim, ſaxo manantibus undis
Percuſſo Moſen virga, Nebulamque diurnam
Deſuper effuſam, & noctu fulſiſſe columnam.
Dux erat iſta viæ, illa etiam velamen ab æſtu.
Dum vero tacitæ veniebant tempora noctis;
Ros ibi delapſus tellurem humectat, ut imber;
Ecce ſpecus viridi ſub fornice, & ecce Cubile,
Mollis & e foliis invitat Culcitra ſomnos,
Claudit & intextis duplex arbuſcula ramis.
Ipſe foris jaceo Cuſtos, tegit iſta jacentem.

Hæc ego conſpiciens rerum miracula, dixi:
Non hominum ſoboles hi ſunt, Cæleſtis at Aulæ
Cives delapſi; maneant veſtigia Terris
Ut virtutis adhuc, ne totus ſplendor abiret.
Teſtis humus, famulata ipſis, aqua teſtis, & aer.
Sic nos progredimur: Cælum, atque Elementa miniſtrant.
Linquimus ad dextram ſeptemplicis oſtia Nili,
Ad lævam poſita eſt hoſtilis ſemper Idume.
Sed non Latrones, non perfidus Accola Nobis
Officiunt: mens mutata eſt, Numenque verentur.
Petræos Arabes, & rubri litora Ponti,
Et juga Thebaidos deſerta, & aduſta locorum
Tranſimus: cœpit miteſcere poſtea Tellus,
Quam rigat unda frequens, meliorque refrigerat aer.
Eſt in conſpectu Hermopolis, læta ubere glebæ,
Quæque prius fera gens, cultu manſuevit, & uſu,
Mœnia proſpicimus; mens eſt, hanc tendere in Urbem;
Inque via media tranſverſo e tramite Paſtor
Ecce venit, facie mores oſtendit honeſtos.
Accedit blandus, blanda nos voce ſalutat,
Reſpondetque Senex verbis, vultuque Puella:
Hermopolim verſus Paſtor comitatur euntes.
Vicus erat, longe qui non diſtabat ab Urbe:
Hic ſatis ampla ſuis Domus eſt, hic paſcua læta
Ille tenet circum, docilemque colebat agellum:
Uxor erat, Natique duo, & cum Conjuge Verna.
Venimus ad limen, comites invitat amice,
Hoſpitium accipimus: Tunc fuſca a Solibus uxor
Obvia cum Natis exit: depaſcitur unus
Sed febri: macies index, & pallor in ore.
Vix Ægrum Noſter tetigit (mirabile viſu!)
Seu vis langueret morbi, ſive ipſa ſuperne
Miſſa Salus, ſubito facies mutata colore,
Et validum corpus, veſtitaque carnibus oſſa.

Obſtu-

Obſtupuere omnes, & læti talibus orſis,
Non mortale genus, tantis virtutibus auctos
Eſſe putant, Cælique velut nova Numina adorant;
Hi peregre quamvis irent ſub paupere amictu.
Communis jam facta domus, meliorque paratur
Hoſpitibus, ſed ſola manet ſua menſa cuique,
Dumque illi pecori invigilant, agroque colendo,
Frugibus ac Tellus, & lacte, & fœtibus agnæ
Reſpondent; Noſter polit, aut ſelecta dolabra
Ligna Senex, parat ipſis aut inducere formam,
Capſula ut exiret, Sellæ, ſimiliſque Supellex.
Prima tamen Pueri cura eſt: Vel ab Ubere pendet,
Vel jacet in gremio Matris, mellitaque verba,
Ut poterat, læto reddebat, & oſcula riſu.
Dumque Puer dormit, ſedet iſthæc proxima lecto,
Atque net interea Peluſia lina, paratque
Exiguum Nato induſium, Tunicamve Marito.
Aſt ego, quæ famuli, præſto, vacuuſque frequenter
Vimineos texo Calathos, vel vaſcula ad hauſtus
Undarum, mulctramve cavo: quandoque per Urbem
Circumeo, vendoque meos, dominique labores.
Iſta fere nobis veſtes, alimentaque Vitæ
Sufficiunt: ſi quid deſit, dat largiter hoſpes.
Hæc inter menſes undenos clauſerat annus.
Mane Senex quodam ſurgit, Sponſamque decoram
Sic ille alloquitur: Juvenem per ſomnia vidi,
Quem Naſareth vidi, fera juſſa, fugamque monentem.
Agnovi faciem, e Cælo miſſumque Miniſtrum.
Occubuit Solymæ fœda, inquit, morte Tyrannus:
Ne timeas Puero: Naſareth remeare poteſtas.
Hæc ait, & meritis retulit cum Conjuge grates
Hoſpitibus, dixitque vale, atque inſternit Aſellum,
Vecturum Matrem cum Nato, ut vexerat ante.
Ipſe trahens funem cuſtos præcedit: onuſtus

Sic ego ſarcinulis, venio poſt paſſibus æquis.
Jam via propoſita eſt eadem, comitatus & idem:
Nec Cæli, Terræque favor, nec defuit uſquam
Rivulus aut Siccis, aut Eſurientibus Eſca.
Noctu nota Specus, paribuſque eventibus uſis,
Adventus, redituſque ſimul, via tota peracta eſt.
Ingredimur Naſareth, ædeſque habitamus eaſdem,
Hoſque ut Heros habeo, famuli mihi amabile nomen.
Ille Puer creſcat, tantis niſi fallimur Orſis,
Deliciæ Superum, Terræ ſpes alta futurus.
Nunc redeo Naſareth, ſummo illinc mane profectus.
Daph. Mira refers: hunc noſſe Senem, lectamque Puellam,
Et natum opto, Terra quibus famulatur, & Æther.
Te duce præterea ſi, Ergaſte, licebit eoſdem
Excipere hoſpitio; nobis eris alter Amyntas.

AD JOANNEM MARIAM CEPOLINUM

Carmina.

MIſi nobilibus tuis Alumnis
Ortum, quem cecini mea Cicuta,
Divinæ Sobolis Puellæ ab Alvo;
Auctor ſæpe licet legatur Alcon.
Mitto nunc Tibi, Cepoline amice,
Quæ ſcripſi juvenis Palæſtræ in uſum,
Decertantibus hinc, & inde Muſis.
Jamdiu, dare pignus hoc amoris,
Optaram Tibi; ſed timere cœpi
Emunctas nimis, atque delicatas
Nares. Vicit amor tamen timorem,
Hucuſque ancipitem impulitque mentem

Vir-

Digitized by Google

Virtutum ſtimulus ſimul tuarum:
Fides integra, pectoriſque candor,
Sanctum amicitiæ, potenſque nomen.
Ante me juvenis ſenem colebas,
Ut boni juvenes colunt ſenectam:
Ego Te juvenem ſenex amabam,
Boni ſicut amant ſenes juventam.
Sed poſtquam Veneta ſecunda in Urbe
Præclaræ Soboli dedit magiſtrum
Te ſors; quidquid Heri benignitate
Vales, omne vales mihi, meiſque.
Acceſſit decus eruditionis,
Ac vitæ tenor elegantioris.
Hunc ergo excipias meum libellum,
Seu partem velis alteram libelli,
Atque amicitiæ tuere noſtræ
Pignus, quod fidei dedi tabellæ
Servandum, ipſa erit uſque dum tabella.
Quod ſi quis genuinum in hoc libello
Frangat, more ſibi inſito obloquendi;
Non erit tacitis ferenda labris
Conſuetudo mala: At monebit ille
Si juſte; veniam precare nobis,
Nec defende reos loquacitate.
Tu vive interea, valeque multos
In annos: mea, me premens ſenecta,
Nil ſpondet mihi, quam Vale ſupremum.

Digitized by Google

NON SINE PHILOSOPHIÆ PRÆSIDIO PUBLICA VITA EST INSTITUENDA.

CARMEN I.

INgemis impoſitum grave, nec tolerabile pondus:
Quod ſint nocturna, quod ſint verſanda diurna
Scripta manu, dederat quæ Porticus, atque Lycæum,
Pabula jam quondam, tinearum, ac nidus Arachnes.
Invenit inſomnem, Thalamos Aurora relinquat
Quantumvis propere, vetuli pertœſa Mariti.
Altum clamat enim monitor: *Jam labitur hora*,
Vincere qui poſſit reboanti Stentora voce.
Sique datur greſſus efferre e limine, tantum
Sole ſub occiduo, ductore per abdita ſemper
Affixo lateri, ut cuſtos Erymanthidos Urſæ.
Una ſed iſta via eſt, qua celſa cacumina poſſis
Scandere, ubi ſtabilem poſuit Sapientia ſedem.
Illic lacte ſuo dociles Dea nutrit Alumnos,
Inque ſinu fovet ipſos, inſtillatque beatos
Paulatim latices; occulta ut ſemina honeſti,
Quæ Natura animis inſudit provida noſtris,
Expediant ſeſe, creſcant robuſtaque, ut arbor,
Quam prius exiguum claudebat cortice ſemen,
Telluris ſuccis aucta, & pluvialibus undis
Exurgit, cœpitque ſuos extendere ramos.
Fallitur ille quidem, ejuſque irreparabilis error,
Qui rudis, & nullis uſus doctoribus unquam,
Reddidit & multo non ante crepundia Matri,
Attamen egreditur tectis, cœtuſque frequentat;
Ut tunc facta hominum, & curas perdiſcat, & artes;
Fiat & hinc ſapiens, aliorum inſtructus abunde
Caſibus, ut tuto poſſit decurrere Vitam,

Et

Et ſic effugiat faſtidia longa Magiſtri.
In cæco ſed multa latent obſtacula curſu,
In quibus & rudis, & monitis non ante paratus,
Succumbet certe. Sine clavo e litore Navis
Exeat: illa ſtatim venti fit ludus, & undæ.
Impatiens tecti primum, ſoluſque per Urbem
Carpit iter Cæcus, nec longe a limine greſſus
Extulit; in ſaxum impingit miſer, atque ruit pes:
Labitur in pronum, circum ridente Popello
Stultitiam, aut miſerante, caput ſi frangitur, aut crus.
Debuerat Cuſtode uti, qui ſaxa doceret,
Semitæ & anfractus, vel lapſæ rudera molis.
Offuſum tenebris Genus eſt mortale, nec iſtas
Disjiciunt niſi tempus longum, & clara Sophiæ
Dogmata, quæ menti paulatim infuſa per aures,
Perque oculos, totam perfundunt: hac duce, cautus
Proſpicies caſus, evitabiſque pericla.
Tanti emitur ſolum non fallax Regula Vitæ.

VITIORUM FOMES ADULATIO.

CARMEN II.

JAmdudum admiror, varicoſos dum Atria circum
Stare Senes video, impexos, magniſque lacertis,
Diſtinctos Operum titulis, claroſque Triumphis,
Multa quibus barbam abſumſit, naſumve Vetuſtas:
Angulus ac ne quis doleat ſine Imagine Avorum,
Signa domus emtæ, mutato nomine Gentis,
Ambitio poſuit. Per Saturnalia quando
Dicere jus eſt, nec metuunt Ergaſtula ſervi;
Incipiam, quæcumque dabit calamo Cacohetes.

Cur

Cur tam degeneres noſtra hac ætate Nepotes
Tantorum Heroum vivunt? Viciata Propago,
Alcinoi genus, & blandæ Sirenis alumni,
Inflati folles, altum per inane volantes:
Sique latus pungas, ſolum vapor exit, & aer.
Quæ genuit ſemper fœcunda Gnathonica Secta
Diſcipulos, Socios Menſarum, ut Corporis umbram,
Aſſentatores Opulentum fecit eoſdem.
Horum aliquis Ditem venatur, & arripit: Ejus
Tunc ſtudia, & mores oculo rimatur acuto,
Ut proclivem animum, fræno quocumque ſolutum
Præcipitem urgeat, ac miſere premat uſque volentem.
Alea delectat, totamque inſumere noctem,
Vix ortu revocante ad pulvinaria Solis:
Alea ſola decet generoſo e ſanguine cretos,
Et nox inſomnis: ſtertat Plebecula nocte,
Atque die vigilet, ſervili nata labori.
Nunc fortuna tibi, quod captes, ſinciput offert.
Si fugit, incaſſum tentes: Occaſio calva.
Cui ſua forma placet, facies nec turpis, at inter
Portat onus ſcapulas, tamen in ſe deſipit uno,
Cæſariem propter flavam, intortoſque capillos:
Ut tumet in cauda, caudam ſed, flectit ad imos
Lumina dum talos, didicit demittere Pavo;
O cujus, clamatque Gnatho, quæcumque Puella
Exoptet Thalamum! Cypriis te pulcher in hortis
Formoſæ genuit Veneri commixtus Adonis,
Et Charites ſtravere thorum, pavitque Venuſtas.
Inde caput leve ridendum plus præbet amicis,
Mollitie, cultu, lingua, quam culmine dorſi.
Parva quidem ſunt iſta: etiam lethalia plenis
Novit Adulator Cyathis miſcere venena,
Quæ genus humanum, divinæ particulam Auræ,
In fera Bruta ſtatim vertunt, ut pocula Circes

Fer-

Digitized by Google

Ferveat huic ſanguis, faciliſque ebulliat ira:
Ecce Gnatho accedit: Generoſo in pectore fervet
Sanguis, nec patitur, ſi qua eſt quæ vocula lædat:
Ultio digna viro: tacitus fert verbera Aſellus.
In Venerem ſi quis pronus; Socialia jura
Virgineus pudor, ac Thalami violatur honeſtas,
Nec decus, aut lex eſt, aſſentatore magiſtro,
Qui vitium pingit virtutis imagine, & ornat,
Quod turpe eſt, ac dulci miſcet toxica potu.
Si bibis incautus paulatim bellua fies.
Ergo qui ſapit, ac vult eſſe imitator Avorum;
Adſentatorem vitet cane pejus, & angue.

POETARUM PANDORA ΦΙΛΑΎΤΙΑ EST.

Carmen III.

Litus ad Heſperium vergebant Plauſtra Bootæ,
Cumque quieſcebant ſtertentibus arva colonis:
Ipſe manu Chalybis tractans, & forcipe maſſam,
Cyclopes ſtimulat properantes, Lemnius Heros.
Nempe opus extruitur, Siculis non ante caminis
Egreſſum: Pandora eſt, cui partem omnia de ſe
Numina donarunt: ſpeciem Cytheræa, Minerva
Conſilium, Junoque decus, modulamen Apollo,
Quæ Chalybi commixta Deus facit eſſe Puellam.
Protinus ante Jovem ſtetit hæc nova Forma, Paterque
Laudat Opus, juſſitque ſuam dehinc eſſe Miniſtram,
Solamenque hominum ſimul, & munimen honeſti.
Sed poſtquam vetitos audax clam detulit ignes
Japetides Terris: iratus Jupiter hujus
In gremio poſuit fatalem Virginis Urnam,

Op-

Digitized by Google

Oppletamque malis clauſit, quæ funderet ipſa
In genus humanum. Tunc quæ pulcherrima, Divum
Muneribus fuit, ac vitæ tutela beatæ,
Poſtea deformis facta eſt, & origo malorum.
Iſta Φιλάυτια eſt, ficta ſub imagine forma
Pandoræ: iſta fuit, quo tempore floruit ætas
Aurea, deliciæ Terræ, rectique ſatelles.
Ipſa etenim thalamos nullo cuſtode pudicos
Servabat, tutoſque etiam ſine ſepibus agros:
Neve Viatori nummos rapuiſſe latrones
Audieras, tardæque annos Aconita Novercæ.
Turpe erat, eſſe magis, pravos quam turpe videri.
Nec leges, hic Amor communis regula morum
Tunc erat, unde tenet ſtabilem Concordia nexum.
Hic mutatus Amor, mores corrupit honeſtos,
In plures verſus formas, velut alter ab Antro,
Jam vinclis liber, Proteus: Arpia, vel anguis,
Nunc Leo, nunc vulpes exit, Sirenve doloſa.
Hinc vivacis Avi dolor, & prolata Nepoti
Spes clauſas reſerare Arcas, auroque potiri,
Cui mens intenta eſt, neglecto ſanguine, & Aris,
Ad quas pro longa ſimulat voviſſe ſalute,
Non tacitis etiam precibus, mentitaque lingua eſt.
Hic Amor, ut turpi det turpia pabula flammæ,
Nil veritus ſancti ſocialia fœdera lecti,
Molitur violare thoros, & pignora miſcet.
Hinc animi peſtes, hinc pax ſublata domorum,
Hinc odia, & cædes, hinc corda tumentia faſtu.
O utinam, Pandora, Chalybs aut hactenus eſſes
Vel non Urna Tibi, vel ſemper clauſa fuiſſet!

IN

Digitized by Google

IN MEDIOCRITATE FACILIOR TRANQUILLITAS.

Carmen IV.

NEmpe quod in patinis ſoleat cœnare novenis
Gallus, ubi effertur, quidquid gula ſomniat ante,
Perna Apri, pullus Perdicis, & Anſeris exta,
Vel Mullus bilibris, Scarus, aut peregrina Lagois,
Tubera quæ cumulant, & condimenta miniſtrant,
Quæ Coquus attulerat Thuſcis devectus ab oris,
Et quod dives agris, poſitiſque in fœnora nummis,
Menſa quibus poſſit ſemper tam lauta parari;
Anne putas, illum digito contingere Cælum?
Aut his, aut aliis, quæ Sors dat cæca frequenter
Muneribus, clavo nequaquam fixa trabali eſt
Proſperitas: ſæpe ut non triſtis nocte recumbat,
Vel totam vigilet, vel crudo pectore ſaltem
Surgat. Curæ intus pungunt, virtute relicta,
Quæ poſita in medio ſervatur, aquaſque tumentes
Evitat, ſecumque alio fert ipſa quietem.

Exſtimulant animum Prætexta, & ſella curulis,
Tota unde elatum miretur turba, forumque:
Primo mane thoro ſurgis; ne forte Potentum
Liminibus, prior adſit quis. Tunc janitor „ heus Tu:
„ Si dominum; dormit " tamen Atria longa pateſcunt.
Eſt honor, admitti, foribuſque adſtare Cubicli.
Sed quæ ſpes iſthinc? Populi Suprema voluntas
Illius in manibus: donat, tollitque curule,
Cui vult ipſe, decus. Sed ſpes plerumque feſellit.
Sis Prætor, Conſulque: putas requieſcere curas?
Nil minus: anxietas ipſo cum munere creſcit.
Vivere privatis contentus finibus, extra
Nolle lares regimen, Populo neque ſcribere leges,

Res

Res magis eſt optanda: Quies hic tuta, nec ulli
Subdita naufragio: Spirat nam lenior aura.
Cui frugum ſatis eſt, uno quod colligit anno,
Atque novo replere lacus & dolia Vino,
Conſumto veteri, potuit, nec tota ſit Arca
Exhauſta interea (dolet his natura negatis)
Hic felix. Non qui decies ſua jugera mille
Poſſideat, ſemperque alio diteſcat ab auro.
Cum re creſcit amor rerum, nec avara cupido
Ceſſat, ſat nunquam ſaturata, ut ab ignibus ignes.
Frigida depoſcit correptus pocula morbo
Hydrops, plura haurit, magis æſtuat ille: tumeſcit
Albus aqualiculus, nec venis pellitur ardor,
Hic niſi rumpatur medius, fugiatque per auras
E pulmone Anima: hæc ſolum medicina valebit.
Vos precor, o Superi, qui veſtro fata movetis
Arbitrio, & Sors, quam vultis, mortalibus exit,
Ne date veſtra nimis larga mihi munera lance,
Nec nimis anguſta. Sic, fines inter utroſque,
Non Crœſi extollar, non Iri ſorte jacebo.

DIOGENES IN DOLIO INEPTE SE JACTAT SUA SORTE CONTENTUM.

CARMEN V.

IStane forma hominis? noſtras an venit in oras
Simius ex illis, nutrit quos Indica tellus,
Sic homini ſimiles vultu, genus eſſet ut anceps,
Et cicures tandem vix facti, ad tympana ſaltant?

Hic

Digitized by Google

Hic Cynicus poſtquam deriſit pulchra Platonis
Dogmata, & excultos uſus, & ſplendida magnæ
Ornamenta domus, & lautæ fercula menſæ;
Urbem percurrit, fulgente Sole, lucerna:
„ Quæro hominem " clamat, vocemque repercutit aer.
Dolium habet pro tecto, veſtis trita lacerna eſt,
Ac ſordes inter quacumque hic veſcitur eſca.
Non toral, aut mappam poſcit: Nam mappa, toralque
Fœda lacerna ipſa eſt, Cochleare, & furcula adunci
Sunt digiti: Solem nil præter, & aera quærit.
Magnus Alexander, quem rumor traxerat illuc,
Ad Cynicum venit, veſtes aurumque, miſertus,
Offert: ille aurum, veſteſque recuſat, & orat,
Solum cara ſibi impediat ne lumina Solis
Corpore, Pygmæus quamvis: ſua munera ſecum
Rex ferat, atque ſua jactat ſe ſorte beatum,
Donaque deſpiciens Regis, Regemque, ſuperbit,
Ipſe quod Eoi Victorem vicerit Orbis.
O Pueri circum ringenti accurrite ſanna,
Aut digitis Aſini erectas imitantibus aures.
Ut quid tanta Deus tam larga munera lance
Effudit nobis? Cur numquam Terra noverca
In gremio tenuit ſemen? Sed frugibus arva
Flaveſcunt, lætaque nitent in vite racemi?
Cur pecus in ſtabulis creſcit, cur aera pennis
Findit avis, mare piſces, & Conchylia paſcit,
Vellera dant pecudes, & ſerica ſtamina bombix?
Iſta hic contemptor Superum, Terræque, mariſque
Deſpicit & ridet. Sophos iſte? docenda juventus,
Contractura luem, accedat, male olentis ab ore,
Fomite deſidiæ, corruptelaque bonorum.
Eja agite, o Pueri, cur vos non mejitis omnes
In Caput iſtius? Sic fas purgare bidental.
Et vos Agreſtes, ſimplex, non ſordida vita

Quos

Digitized by Google

Quos juvat, ac mores in quos induxit honeſtas,
Vel monitoris Avi, vel ſedula cura Parentum;
Frigore ſi forte extinctum, morbove jacentem
Invenietis humi; Corium tunc demite, & illud,
More lupi, occidit ſi quando Villicus ullum,
Impletum palea, Pagi per compita ovantes,
Ferte: dabit totus vobis munuſcula Pagus.

NOVENDIALE HERACLITI MANIBUS A MÆLANCHOLICORUM COETU CELEBRATUM.

Carmen VI.

Quid ſibi vult murmur? reboat quid fletibus altis
Alta Specus, ranarum inſtar dum proximus imber?
Scilicet illorum locus hic ſolet eſſe receſſus,
Atra quibus circum ſerpit præcordia bilis,
Et facilis queſtus, nec amant, niſi flebile carmen.
Triſtitiæ quæris ſi cauſſam; male concoquit eſcas
Dum ſtomachus, nigri aſcendunt cum bile vapores.
Horum hominum turba illic eſt collecta, facitque
Sacrum Heracliti lugubre, Novemquediale
Manibus, & nigræ pecudes mactantur, & ater
In pateris liquor eſt, ardetque bitumen in aris.
Delapſo e Cælo Simulacrum fulmine plorat
Tactum Heracliti: vultus ſine imagine trunco
Avulſus jacet, & factum, Sophos ante, bidental.
Debita triſtitiæ pœna eſt, ac vindicis iræ
Cælicolum: mœrentem animum averſatur, amatque
Læta Deus. Tales quid opus fudiſſe querelas,
Et mortale Genus tanto temerare ululatu?
Inſani certe eſt, defixa revolvere Fata,

Velle,

Velle, Deum paſſim, ſeriemque invertere Rerum:
Ver ut ab æſtate, autumno ſic truditur æſtas,
Nec ſudum, aut pluviæ ſemper, ſed tempora certa
Mutantur vice. Quid deſperamus? meliora
Succedent, Superis circumvolventibus Orbem,
Atlanti impoſitum, ut Regio ſubterque, ſuperque,
Quæ poſita eſt, caleat non ſolum, & fulgida fiat;
Verum ut ſtellarum adſpectus mutetur, & una
Sors hominum; ſemper nec læta, nec aſpera ſemper.
Splendet in humanis divina Potentia rebus.
Numquid facta Deum audet homunculus, umbra,ciniſque
Queſtubus inſimulare ſuis, demiſſa facitque
Audacem fuſca a facie per pectora barba,
Impexumque Caput, tinearum ac pabula veſtis,
Et ſuperindutum, doctrinæ inſignia vanæ,
Palliolum? Cum veſte animus ſordeſcit, & intus
Eſſe monet, peredunt qui pectus triſte, vapores.
Flebilis ergo abeat nigrum Heraclitus ad Orcum,
Summanique loco præſit pallentibus Umbris,
Sedes digna Viro. Democritus exeat oris
Lætus ab Elyſiis, ſecum riſumque, jocoſque
Afferat in Terras, multo jucundior hoſpes,
Noſtraque, ab alterius ſtultis turbata querelis,
Pectora feſtivo melius deliniet ore.

AD DAMASIPPUM, QUI VENDITIS AGRIS MERCATURÆ CAUSSA, NAUFRAGIUM FECIT.

CARMEN VII.

DEbebas fatis, ut te, Damaſippe, tabella
Depictum ferres, peteres & naufragus aſſem,
Qui non contentus, dederant quas arva colenti,
Frugibus, & ſpreto telluris fœnore, pectus
Findere remigio tumidæ auſus es Amphytrites,
Nil dubitans animam fallaci credere Ponto.
Non menti ſubiit, dum prædia vendis, & auri,
Collecti ex iſtis, multos ſeponis acervos,
Trans mare quos portes, velis, ac remige navi
Inſtructa; eſſe Noti rabiem, Boreæque furentis,
Nimboſaſque Hyadas, quibus unda dehiſcit, & altos
Tollitur in montes, latoque minatur hiatu?
Nec noſti Scopulos, ad quos tam ſæpe natantes
Apparent fractæ ſinuoſo in gurgite puppes?
Debuerant caſus aliorum, & fata docere,
Quos vix ſervatos tabula, projecit in oras
Ipſa unda, ingluvies ſpoliorum, nota Tabella
Quos alit, & populo oſtendit, per compita pictos.
Nequicquam Terris prudens Deus abſcidit æquor;
Ut ſuus eſſet cuique locus, nec Regna natantum
Terrigenæ appeterent, aut Delphin curreret arva:
Utque alas avibus tribuit, quibus aera findant,
Sic dedit & piſci pinnas, quibus innatet undis.
Non homini dedit: ut ſolidæ foret incola terræ.
Servavere illi intacta confinia lege:
Solum homines audax, & avara Cupido coegit
Non aditus tentare ſuos, pelaguſque negatum.

Ulto-

Ultorum ſentis iram, Damaſippe, Deorum,
Cui juveni effudit largo ſua munera cornu
Copia: ſed poſtquam venundata Prædia, & aurum
Translatum pelago, fieres ut ditior emtis
Mercibus, unda omnes momento abſorbuit horæ:
Utque diu infelix; nondum toto aere caſſum,
Impulſu undarum jacuiſti in litore corpus.
Neptuni inſidiis perſæpe petitus, Ulyſſes
Naufragium fecit; tamen hic ſua Regna recepit,
Quæ tenuere Proci, ſperato fœdere lecti.
Invitum ſed enim ad naves traxere Pelaſgi
Conjugis amplexu, ac telluris amore retentum.
Non ea te Fata expectant, quem prava cupido
Lucri jam ditem juſſit mutare volentem
Fœnore cum pelagi glebarum fœnora, & agri
Sunt domini alterius, quibus hic non gaudet inemtis.
O utinam Cæcus; ne non tua dolia Muſta
Jam tua ſpectares implere, nec horrea fruges.
Attamen audires petulantis dicta popelli,
Qui te, ſponte tua dejectum, exſibilat ore:
Nec grex, quem veſtit ſocialis bardocucullus,
Te comitem feret, & baculo tibi demetet ollam;
Si quando miſerata tuam plebecula ſortem,
Porriget hæc obolum, lucem, pacemque precanti
Defunctorum animis, terſis ut ſordibus, ipſis
Detur in Elyſiis tandem requieſcere Campis.
O Damaſippe miſer, vix infortunia cujus
Paucos hic tangunt, & cætera turba cachinnis
Excipit, ac ridet poſcentem fruſta! Quid ergo?
Jam fuerat melius tumidis periiſſe ſub undis,
Quam tantis ſupereſſe malis: ignota require
Mœnia, vel potius pagos, alioſque Colonos,
Qui tibi ſi miſero nolint ſuccurrere; victum
Arte alia quæras, talis, teretique fritillo,

Ranarumve refer pugnam cum muribus, atque
Suſpenſa totam virga percurre tabella,
Quam ſtolidæ vendas deſcriptam poſtea Plebi,
Vel leſſum facies, vel cantes Ocyma Vernis.

MORES IN PEJUS MUTATI EX ALIQUORUM PRÆSERTIM STULTA SAPIENTIA.

Carmen VIII.

AUrea, quæ primi vixerunt Sæcla Parentes
Intonſi, ſine lege probi, dum corpora Palmæ
Veſtibant foliis, & menſam bacca parabat,
Contuſumque olus, & Ciceris cum ſale catinum,
Excepit mutata ætas argentea, cui mox
Ferrea ſucceſſit, ſemper pejoribus annis.
Non pravi influxus Cæli, adſpectuſque maligni
Stellarum, quod blanda Venus non temperet iram
Martis, vel bilem Saturni Jupiter atram
Fecere, ut Terras vis, fraudes, ira, libido
Et quodcumque malum teneat, pejoraque ſemper
Tempora præteritis, nec ſit medicabilis ulla
Dira lues dextra, redeant niſi ſæcula Pyrrhæ.
Hoc noſtri faciunt vitiata ex indole mores.
Quid non audemus? Vel quæ latuere priorem,
Crimina; num poſſunt hæc ipſa latere recentem
Argillam? Cui res etenim ſua tuta, decuſque,
Et quam non maculant dolus, & mendacia linguam?
Quæ tam Sancta fides, aut quæ ſocialia jura
Fœdere amicitiæ conjuncta, aut ſanguine ab ipſo,
Quæ foveat cognatus amor, pudibundaque honeſtas?
Cælum ipſum petimus, trutinaque arcana deorum

Pen-

Digitized by Google

Penſamus noſtra, Caſum, Fatumque tuentes;
Ut libet, atque Deum metiri homo tantulus audet.
Sæpe tamen ſtimulis ſcelerum mens conſcia torquet:
Tunc eſt Relligio figmentum, & fabula manes:
Spiritus ex aura tenui evaneſcit in auram;
Intimus interea ſenſus licet ipſe recurſet,
Et contra clamet natura, & provida rerum,
Non niſi mens divina, atque inſita cura futuri,
Speſque, Fideſque animis, quas fruſtra evellere tentat
Callida quæcumque exquirat ſapientia fallax.
Hæc toto nondum ſpoliatam lumine mentem
Sollicitant primum, caligine poſtea circum
Offuſa obruit improbitas, ſequiturque fidelis
Egredientem animam uſque ad pulvinaria culpa.
Hæc nonnullorum vita eſt, & ſecta vocatur,
Quæ vivit nullis agitata tumultibus; haud jam,
Quod viſi Lemures, aut vox audita per umbras,
Quæ terrere ſolent, vetula narrante, puellas:
Neve quod exutæ, Verporum corpore in altum
Umbræ dicantur jactari, ut in aere follis,
Quod ſtolidi credunt Recutiti, & ferre quietem
Delatam Solymis glebam, morientis in ore.
Sed neque quod lapſum proſtravit ab æthere fulgur
Multa hominum capita, aut nebula ſeges uſta, vel arva
Grandine depopulata, lueſque cadavera paſſim
Congerat in loculos, feſſis a pondere veſpis.
Hæc rerum caſus, luſus compaginis: iram
Nequaquam monſtrant Superum pejora minantum.
Scilicet hi terræ ſecuri vivere gaudent
Vitam, nec quærunt mortalia facta: quietos
Turbarent: aliter Divum Genus ærumnoſum:
Cæleſtes ipſi tantum Cæleſtia curant.
O curvæ in terras animæ, ſapientia quarum,
Stultitia eſt, & inania propugnacula morum!

Digitized by Google

At vos tam dociles noſtræ quicumque Camœnæ
Aures porrigitis, quorum prudentia puros
Mentibus inſtillat latices, & cuncta moveri
Creditis arbitrio Superum, nec Fata probantur,
Nec caſus, quibus improbitas malefacta tuetur,
Aut ridet; ſemper placitis hærete vetuſtis,
Nec placeant nova, quæ blande deponit in aure
Lingua, ſuæ ut poſſit Socios adjungere Sectæ,
Credula quæ metuit dum dici, incredula vivit.

ET-

Digitized by Google

ΕΥΤΡΆΠΕΛΙΑ

Elegia I.

AD CRISPUM.

SÆpe quod inviſus, nulliſque utaris amicis,
    Criſpe, doles: tanti es Tu tibi cauſſa mali.
Jam linguam moderare tuam, miteſcere diſce,
    Atque uſus blandos indue, & ingenium.
Pronus ad obſequium, nec parcus laudibus eſto:
    His etenim facile conciliatur amor.
Excuſa mentem, nequeas ſi facta, minuſque
    Per te jacturæ tunc patietur honos.
Jugera mille aliquis jactet, granaria poſſint
    Quæ replere decem, muſtaque mille Lacus;
Colligat hic quamvis, uni quod ſufficit anno;
    Indulge huic, vacuis paſcere imaginibus.
Addat, & excipio menſæ umbras præter amicos;
    Illa ſatis quamquam vix ſolet eſſe Suis;
Lautitiam Domini lauda, ſortemque Clientum,
    Queis habet inſtructos tanta culina focos.
Indutos Trabea Majores, Signaque longa
    Decurtata manu, nigraque facta die
Oſtendant alii: mireris credulus; etſi
    Alterius fuerint hæc decus emta domus.
Et Studia, & mores ætatum diſce; moleſta
    Nec ſit cum Senibus garrula lingua Senis:
Tempora laudanti quæ præteriere, libenter
    Obſequere: Obſequium ſervat amicitiam.
Si juvenes inter verſere, ſenilia vita:
    Nam gravitas iſti non foret apta loco.
Pallorem lauda, Matri ſi pallida Nata eſt:
    Si fuſca, in fuſco forma colore placet.

Si

Digitized by Google

Si rubor in vultu, quamvis ſit rufa Puella;
    Dic roſeam: hinc veniet gratia multa Tibi.
Detorti vergunt oculi: Tu dicito Pætam:
    Creditur, adde etiam, pæta fuiſſe Venus.
Ne tamen incruſtes vas, ut dicatur avarus
    Frugi, vel fures ingenioſa Cohors:
Invertas nec virtutes: Nam nomine honeſti
    Dicere, quod turpe eſt, ἐυτραπελια vetat:
Dumque volo ἐυτράπελον, ne credas velle Gnathonem:
    Finibus eſt virtus conſtituenda ſuis.

INJUSTA QUERELA EST:

HOMINES SEMPER FACTOS ESSE PEJORES.

AD PONTICUM

Elegia II.

Ultima quid quereris; falſum eſt nam, Pontice, pejus
    Humanum ſemper Sæcla tuliſſe Genus.
Aut vita eſt eadem, aut melioribus utimur annis,
    Et niſi facta minor, non tamen aucta lues.
Perlege, ſi cupis, ætatum monumenta priorum:
    Quæ monumenta legas, improbitatis erunt.
Læſtrigonum feritas nota eſt, & nota Cyclopum,
    Membraque fraterna dilacerata manu.
Olla Thyeſteæ dedit argumenta Cothurnis
    Cœnæ, totque malis conſcelerata Domus:
Et dubiæ Soboles, Thalami violataque honeſtas,
    Ac temerata fides, eſt ea culpa vetus.
Longa fuit ſemper Privignis vita Novercæ,
    Grata Socrus Nuribus, blandaque nulla fuit,

Moro-

Digitized by Google

Moroſique Senes, querulique, procaxque Juventa,
Sæpe etiam vetitis tacta cupidinibus.
Jam merx venalis fuerat ſub fornice & olim,
Et, quæ lodicem fœda locabat, Anus:
Utque Cacus rapuit Tauros, & clauſit in antro,
Herculea Clava mox cecidiſſe, leges.
Suſtulit Alcides furem, non furta; nequibant
Furta prius doctæ dediciſſe manus.
Et tonitru, & fulgur celſas ſternentia turres,
Et quæ replerunt ſanguine bella vias,
Ac motus Terræ, everſaſque tremoribus Urbes,
Et quæ ruderibus corpora tecta jacent,
Aut fatum, aut caſum, non Divum tela, vetuſtis
Temporibus, pariter qui docuiſſet, erat.
Lapſus ut occiduum poſtquam Sol veſpere in æquor,
Semper ab Eois mane reſurgit aquis;
Sic vice perpetua rerum idem vertitur Ordo,
Et quæ contingunt nunc, cecidere prius.
Pontice, non juſtas ergo dimitte querelas:
Qualis Poſteritas, ante fuere Patres.

QUOD SIS, ESSE VELIS, NIHILQUE MALIS.

AD GALLUM

ELEGIA III.

Fundere me nunquam, miraris, Galle, querelas,
Triſtitiæ in vultu ſigna nec eſſe meo:
Dumque colo Superos, nequaquam poſcere ab ipſis,
Ut mihi creſcat ager, creſcat & arca ſimul.
Diſce, quid hoc faciat: non latis finibus arva,
Non immenſa ſeges, plena nec arca facit.

Hoc

Digitized by Google

Hoc animus præſtat, qui ſcit, quæ poſſidet, uti,
Contentuſque ſuis, non aliena cupit.
Quod ſis, eſſe velis: ſatis eſt: nihil amplius opta:
Ambo tunc erimus conditione pares.
Non ego divitias, nec magna Palatia poſco:
Sufficit ad vitam, quod mihi ſorte datum.
Eſt ſatis ampla domus, modica eſt, & munda ſupellex,
Nec lædit teneras aſpera mappa manus.
Par opibus menſa eſt, paucoſque admittit amicos,
Non Umbras, eadem pergat ut eſſe mihi.
Non Coquus a Gallis venit, qui condiat eſcas,
Fallat & ancipitem nomine ſæpe gulam.
Non queror in menſa, Perdix niſi ſit, vel Alaudæ:
Sat caro, cum bubula, tunc vitulina ſapit.
Sæpe columbini concludunt prandia pulli,
Et dare quæ tempus, poma, nuceſque, ſolet.
Dum venit Autumnus, capti adſunt veſpere turdi,
Vel quæ rete aliæ tunc capiuntur aves.
Eſt mihi Verna Coquus, primis inſtructus ab annis,
Qui ſimplex, menſa ſimpliciore placet.
Condimenta cibos non mutant: ipſa cohortis
Jam Gallina ſapit cocta cohortis avem.
Non redolet Silvam, nec rubro exuta colore
Cernitur, in Cœnam ſi mihi Perna datur.
Non venit externis magno Liquor emtus ab oris:
Apta ſat in noſtro naſcitur uva ſolo.
Eſt Ancilla, domus cuſtos fidiſſima: rugæ
Credere ſuſpectam, canitieſque vetant.
Urbis ſi tædet; non longe diſſita ab Urbe,
Villula mutata tœdia ſede levat.
Ad latus Ædicula eſt, ſuperis effundere mecum,
Quo collecta ſolet ruſtica Turba preces.
Jugera læta jacent circum, colleſque coronant:
Vitibus hæc Tellus, frugibus illa valet.

Iſta

Iſta ſatis nobis: non ultra tendere fines,
Optamus: Proavis iſta fuere ſatis.
Sic felix Ego, ſecurus confinia quantum
Porrigat, aut auri congerat Antigonus;
Qui fert ſub fœda, Populo ridente, lacerna
Fœdius in menſam ſinciput ipſe domum.
Nec laudo Hermogenem, cui non Patrimonia magna
Sufficiunt: major ſemper & ingluvies.
Sit modus in votis: poteris ſic eſſe beatus:
Nec ſis Hermogenes, Galle, nec Antigonus.

Digitized by Google

In Eclogis.

ERRATA	CORRIGE
C. 19 v. 20. Cappellæ	Capellæ
C. 28 v. 33. Divæ	Diræ

In Carminibus.

C. 43 v. 2. Gnatho ecce	Ecce Gnatho
C. 43 v. 23. Quæ Chalybi	Cum Chalybe hæc
C. 45 v. 19. Surgit	Surgis
C. 47 v. 9. lucerna	lacerna
C. 57. V. 8 dedicisse	dedidicisse

Siqua oculis latuere, æqui vos parcite Amici.

Digitized by Google
Ⓔ23142